GREGORII NYSENI
CONCIONES QVINQVE
DE ORATIONE DOMINI.

Eiuſdem
CONCIONES OCTO
DE BEATA VITA COMPARANDA.

Omnes a Petro Galeſinio conuerſæ.

His adiuncta eſt ab eodem Nyſeni uita e ueteribus auctoribus collecta.

ROMAE M. D. LXIII.

Apud Paulum Manutium, Aldi F.

Exemplum priuilegii.

MOTV proprio &c, Cum nuper ad huius almæ Vrbis ornamentum, & publicam studiosorum omnium utilitatem nostro iussu instituta in hac Vrbe fuerit officina librorum pulcherrimis characteribus, & summa cum diligentia imprimendorum, præsertim sacrorum, ecclesiasticorumque scriptorum, accersito Venetijs, et huic negotio præposito dilecto filio Paulo Manutio, cum eruditissimo uiro, tum paternæ in hac arte laudis, & industriæ imitatore, prouidere, sicut æquum est, uolentes, ne eius labor, & industria, fructum quæ aliis allatura est, ipsi uni detrimentum afferat; quod euenturum esset, si libros eius diligentia, et cura non sine magnis sumptibus emendatos, & impressos, atque editos alii postea imprimerent, atque ederent, minore forsitan etiam adhibita diligentia: Vniuersis & singulis librorum impressoribus, & bibliopolis tam extra, quàm intra Italiam, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, nostræ uero, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ temporali ditioni immediate, mediateue subiectis, etiam sub pœna quingentorum ducatorum auri fisco nostro applicandorum, & amissionis librorũ ipso facto, etiam sine declaratione cuiusquam Iudicis incurrendis, inhibemus, & interdicimus, ne quis ullum ex libris aut ecclesiasticorum scriptorum, aut cuiuscunque generis, qui aut nunquam ante editi fuerint, aut quos ipse Paulus primus, sublatis mendis, correxerit, declararitue, seu corrigendos, declarandosue curarit, siue illi Græci, Latini, linguaue Italica communi, siue e Græco sermone in Latinum Italicumue conuersi, imprimere, uel ab alijs impressum uendere, aut uenalem proponere, & habere audeat per annos quinque, ab eo tempore, quo Paulus eum ediderit, computandos: Mandantes dilectis filijs nostris Camerario, & Vicario Vrbis, necnon Gubernatori, Senatori, Cameræ Apostolicæ causarum Auditori, & alijs Vrbis ordinarijs Iudicibus, Legatisque, Vicelegatis, Gubernatoribus, & Potestatibus terrarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Baricellisque, & executoribus earundem, ac uenerabilibus fratribus singularum extra terras prædictas ciuitatum Archiepiscopis, & Episcopis, eorumque Vicarijs, ut quoties ipsius Pauli nomine requisiti fuerint, ei efficacis defensionis præsidio assistentes præmissa omnia, & singula contra inobedientes, & contrauenientes ad

executionem censurarum, et pœnarum prædictarum, omni, & quacunque appellatione remota, procedant, & quilibet eorum procedat, inuocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Quia uero difficile esset hanc nostrā cedulam originalem ad singula loca deferri: Volumus quod de eius tenore, quod ad prohibitionē nostram huiusmodi attinet, credi debeat exemplis in ipsis libris imprimendis, seu etiam non inserto tenore narratis: ita quod sola narratio, seu enunciatio in ipsis libris, ut moris est, facienda, ad effectum, ut contra inobedientes, ut præfertur, procedi possit, sufficiat. Et maioris efficaciæ causa uolumus ut originalis ipsa cedula per Cursores nostros hic in Vrbe in locis consuetis, ut moris est, affigatur, & publicetur: ne quisquam ignorantiam eius ualeat allegare: Decernentes irritum, & inane quidquid secus fieri contigerit: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque, & indultis quibuscunque, alijs super imprimendorum librorum facultate forsan concessis, & innouatis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

Placet motu proprio.

CAROLO BORROMAEO CARDINALI AMPLISSIMO PETRVS GALESINIVS S. D.

QVAMDIV Græcia, Borromææ Amplissime, in Romana fide, & in officio erga Romanum Pontificem pie sancteq; permansit, tamdiu illam & incolumem, & florentem, & beatam plane uidit maiorum nostrorum ætas. Sed cum primum Ioannes quidam obscuro, & humili loco natus, Constantinopolitanorũ episcopus factus est; tum suscepta ab eo temere primum cum Pontificibus Romanis, sanctissimis uiris, Gregorio, & Pelagio contentione, florentissimæ illius prouinciæ status ex eo tempore ad interitum sensim ruere cœpit. Is enim ut homo mærori atque inediæ deditus, cum speciem sanctitatis aliquam præ se ferret; solidam uero atque expressam effigiem haberet fortasse nullam; hac adumbratæ non solidæ sanctitatis ratione in Pelagij Pontificis Romani beneuolentiã adeo se insinuauit, ut illius urbis postea crearetur Episcopus. Itaque græculus homo, ut is, qui specie quadam bonus uideri uellet, quo facilius id assequeretur, quod animo iamdiu maxime concupierat; Episcopus iam factus non diu ingenium dissimulauit ac mores suos: sed ea plane arrogantia se esse ostendit, qua omnia sibi licere putauit: honorumque studio, quod antea belle occultarat, ductus, ad id temeritatis atque adeo dementiæ uenit; ut et auctoritate summi Romani Pontificis contempta concilium indiceret; et amplitudinis eam potestatem, quæ illi soli diuinitus tributa est, sibi ambitiose arrogaret; cum Ecclesiæ se uniuersæ Episcopum & dici, & esse uellet. Huic sane rei etsi bene sapienterq; occursum est ab illis ipsis Pontificibus, quos modo nominaui; Græci tamen, ut est genus hominum, qui contaminati semel atque obcæcati erroribus, non facile ab ijsdem auerti possunt, in illa præposteræ ambitionis opinione ita obstinato animo obduruerunt, ut Romanam Ecclesiam sexcentis postea modis oppugnarint. Sin autem attenditur oppugnatio, eius generis extitit, ut, quæ oppugnata uehementissime fuerat, Ecclesia Romana omnino stet; ij uero, qui illam oppugnarant, funditus interierint Græci. Nam ingenio cum illi sint mobili atque inconstanti; quemadmodum olim pepererunt in philosophia factiones, quæ inter se & re, & nomine dissiderent; cum nonnulli quidem

dem Epicurei essent, plerique omnes Academici, alij Peripatetici, alij aliam sectam sequerentur: idem in ijs, quæ fidei sunt ac religionis, cum omnino effecerint; ut modo scilicet de Deo & Christo, modo de Spiritu sancto, modo de alijs religionis partibus a fidei catholicæ ueritate dissenserint: hac inita diuersarum opinionum ratione arbitrati sunt christianæ societatis uinculum posse dissolui; hocque pacto Ecclesiæ Romanæ, cui illi maxime inuidebant, euerti fundamentum. Impia quidem fuit hæc, & scelerata plane oppugnatio, ideoque illis ipsis perniciosa. Quæ quidem res omnis etsi in promptu satis esse uidetur; tamen quoniam plerisque exemplo esse potest, ut alienæ calamitatis periculo religiose admoniti, in officio sese contineant: id enitar maxime, ut quoad eius fieri possit, tota res sub sensum ueniat. Sergius fit Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopus, Monothelitas nouos hæreticos inducit, qui Romanam Ecclesiam catholicæ ueritatis parentem turbent: mortuoque Sergio huius factionis duces succedunt Pyrrhus, & Paulus: hisque sese comites & adiutores præbent Imperatores duo Heraclius et Constans, qui Heraclio auo successit. Itaque dum hi Romanum Pontificem Martinum uehementissime oppugnant; has, quæ suo parebant imperio, prouincias amittunt, Aegyptum, Africam, & Syriam pæne omnem. Constans autem bellua, non homo, quoniam Martinum ipsum multis primum cruciatibus afflixit, deinde morte affecit, pœnam suo scelere dignam suscepit: siquidem a Longobardis militibus Roma pulsus Syracusas uenit; qua in urbe necatus misere obijt. Huius uero nepos Iustinianus cum sibi turpe esse putaret ab auo degenerare; illud impense curat, ut caperetur Sergius: qui cum esset Pontifex Romanus, nefarijs eius conatibus ualde repugnabat, longeque ab ea opinione dissidebat, in qua ille, ut Monothelita hæreticus impie uersabatur. mittit is eo nomine in Italiam tribunum Zachariam; ac militibus, qui Rauennæ in statione manebant, imperari iubet, ut rem nefariam ipsi omnino adiuuent. sed contra factum est, atque ille iusserat: milites enim primum hoc facere plane denegant; deinde Romani tribunum, cui tale factum proprie mandatum fuerat, ita male accipiunt, ut nihil propius fuerit, quam ut occideretur; nisi ipsius Pontificis, de quo ille nihil nisi crudeliter cogitarat, clementia ei fuisset adiumento. Scelerati autem huius consilii auctor Iustinianus tanquam homo infamis, qui eiusmodi facinus ausus esset, pœna, Deo uolente, punitur, quæ ueluti infamiæ nota sontibus irrogari solet: nam lingua abscissa, nasoq; item, in exilium a Leontio, qui illius locum occupat, mittitur. Atque Philip

picus

picus quidem, qui deinde successit; & paulo post Leo Isaurius sanctorum imaginibus inimicus, unus & item alter bellum Ecclesiæ Romanæ indicit, quæ hæresum expultrix est. huius autem impiæ temeritatis pœna, ut annalium est litteris proditum, in utroque grauis fuit. Philippico enim, contra quem paulo ante illud ad sempiternam infamiæ notam statutum erat; ut, cum læsæ sanctorum maiestatis reus esset, eius nomen neque publicis, neque priuatis monumentis inscriberetur; oculi denique eruuntur. cum Leone autem male actum esse legimus; quoniam de imaginibus cum a se Pontifex Gregorius huius nominis II. plane dissideret; de eo interficiendo consilium capit. Pontificem hunc omnis pæne Italia tuetur: illum Imperatorem oppugnant ij, qui illius imperio subiecti parere omnino debuerant. quo fit, ut impio hoc Leonis consilio Græcorum in Italia imperium primo debilitatum, sceleratioribus postea Constantini, qui scelerato patri successit, actionibus contra ecclesiam Dei susceptis, totum pæne amittatur. Rauenna enim, quæ urbs illorum exarchiæ præsidium fuerat, ab Longobardorum rege Astulpho capitur; qua capta nullæ postea fuere eorum in Italia uires, nulla imperij maiestas. Itaque dum Græci conatum omnem adhibent, ut Pontificis Romani imminuant uel potestatem, uel auctoritatem; faciunt ipsi quidem id magno cum suo malo: Pontificis autem & Ecclesiæ Romanæ potestas illorum oppugnationibus non modo aliqua ex parte non imminuitur; sed etiam atque etiam ualde augetur. amittunt illi hoc modo & Rauennam urbem, & AEmyliam prouinciam: hanc ipsam Stephani Pontificis auctoritate ab Astulpho recuperat gallorum rex Pipinus: & quoniam is animo pio erat, ac liberali, planeque regio, illam uniuersam donat Ecclesiæ Romanæ. At uero Græci utpote leuiculi homines, quos sæpe uel parua falsæ laudis aura ab honestatis cursu dimouit; maximis illis incommodis atque detrimentis facti nihilo meliores, non desinunt male sentire, aut agere: sed uel ea ratione, quia nobis res optime caderet, iratiores esse incipiunt; atque usque adeo malo animo esse pergunt, quoad impijs suis contentionibus nobiscum, quorum nomen pessime oderant, ipsi certando omnino perierunt. Certe si uere iudicare uolumus, etsi religionis ratio hostes aliquando illos nobis fecit: tamen ad hoc ipsum in illis multum potuit aut eorum in nos odium, aut inuidia, aut crudelis illa ambitio, quæ multorum annorum usu inueterata in illorum animis alte iam radices egerat. Nam ijs animi morbis sæpe commoti, tanquam circæo aliquo poculo repente mutati, a clemētissima illa

quidem

quidem, ac modestissima natura desciuerunt, quæ clarissimis maiorum suorum, quos uel ipsius naturæ, uel religionis lumen posteritati commendauit, monumentis expressa elucet. Itaque homines tam nefarij, tam diri facti, atque adeo sanguinolenta rabie in nomen nostrũ accensi, non iure, non lege non ullo christianæ pietatis exemplo ad reip. christianæ quietem, concordiamq; perturbandam toties accesserunt; quoties a fidei nostræ societate defecisse litteris proditum est. hoc autem ita temere, ita leuiter fecisse legimus, ut repetita ex ueterum monumentis ueterum seditionum memoria, illud plane intelligamus, de concordia christianæ ciuitatis dissoluenda, aut sarcienda negotium illos eo animo suscepisse; ut cum uentosissimi homines sint, & leuissimi uel omnium iudicio; eam ipsam ter decies conglutinatam, toties item disiungere parum sua interesse putarint. Res tamen illis maxime omnium perniciosa hæc fuit; & indigna profecto Græcis illis uetere Græcia dignis, qui quoniam e religione uixerunt, libris pie sancteque scriptis, sempiternam in christiana rep. concordiam procurarunt. Posteriores igitur, qui in Græcia tum minus bene constituta uixerunt, male sani homines, atque audaces in primis maiorum suorum doctrina, atque exemplis, publicorumque conciliorum auctoritate peruerse abutentes, illud impense faciunt; ut discordiarum semina iaciant, inuidia dumtaxat, uel odio inflammati; quod quidem eiusmodi fuit in nos; ut quamuis modo unus, modo alter illius prouinciæ ordo nobis bellum indixerit; uniuersi tamen nostros mores ritusque quasi ex ultima repetitos barbaria aspernati sint omnino. Quamobrem si illius prouinciæ episcopi nobiscum aliquando fecerunt; eius tamen Imperatores infenso fuere nobis atque infesto animo: aut si ij quidem rebus nostris fauerunt; uulgus tamen in inueterato odio permanere maluit, quam Imperatoribus suis latinorum studiosis obtemperare. Sæpeque factum est, ut cum Constantinopolitanorum episcopi nobis adhærerent, Romanamq; fidem officiose, atque pie colerent; tanto tamen odio in Pontificem Romanum exarserint Imperatores; ut ad eum uel litteras mittere prohiberentur: id quod Nicephorum, in quo nulla fuit religio, nulla fides, statuisse accepimus. Sin autem qui catholici essent episcopi; in Romani Pontificis potestate & officio eos permanere compertum esset; hi ab ecclesia, quam pie gubernarent, omnino pellebantur. Ignatius uir sanctitatis laude clarus, quoniam est in Romana fide, Constantinopolitano episcopatu per iniuriam amouetur. Photius homo militaris in illius locum fit episcopus. hoc improbe factum impro-

probat Nicolaus Pontifex, & Photium, qui hoc temere attentasset, iure damnat. Hinc tamen maius dissensionum seminarium, hinc Græcorum contra Latinos de Spiritu sancto ea contentio, a qua extitit totius Græciæ interitus. nam etsi Spiritum sanctum tum a patre, tum a filio proficisci pie sancteque decretum erat frequenti patrum consensu, qui Constantinopolitano, & Niceno posterioribus concilijs interfuerant: Photius tamen homo Græcus, qui læsus; si modo læditur is, qui lege iureque plectitur; dissidij causam quærebat; Pontificem propterea Romanum Adrianum huius nominis II. eo nomine accusat, quod christianæ fidei symbolo addidisset; Spiritum sanctum a filio etiam procedere. Hoc quam superbum fuerit, quamue a christianæ disciplinæ pudore alienum, atque a sanctissimorum patrum institutis plane abhorrens, omnium sit existimatio. ego uero illud affirmare ausim, ad ceteras Græcorum calamitates nihil ipsis potuisse accedere hac ipsa re neque calamitosius, neque exitiosius. Illi hoc iam sciunt, illi hoc iam uident, & perspiciunt aliquando quanto cum suo malo insanierint; cum iam nefarij sui sceleris conscientia abiecti, in summis uitæ & fortunæ sordibus duriter uiuant. atque hæc tandem extrema fuit postremorum illorum hominum uitæ condicio. Alijs intestinis morbis, alijs hæresum pestibus ægrotam & prope depositam Græciam ex certissimorum auctorum litteris animaduertimus; medicina ei tamen salutaris fuit sacrosancta illa septem conciliorum auctoritas, quam eius maiores sanctissimã semper putauerũt. sed cum primum contra Spiritum sanctum cum Latinis pugnare cœperunt; quoniam hoc introducto certamine magnum aliquid spectabant; atque cum illis præsertim contentio erat, ad quorũ quidem remp. euertendam cupido diu fuerant, & elato animo: ita hæc hæresis illorum animos occupauit, ut uix unquam fieri potuerit, uel potius nunquam factum sit, ut euelli omnino posset. Constantinopoli enim primum post Photij temeritatem, Adriano Pontifice, in media fere Græcia, frequentissimo Græcorum conuentu, paucis admodum præsentibus Latinis hominibus; deinde Romæ lateranensi patrum concilio, quod Innocentius III. accersitis Græcis habendum curauerat, ut eorum moribus atque animis consuleretur; postea Decimo Gregorio Pontifice Lugduni, ad quam Galliæ urbem uenerat tum Palæologus ipse Græcorum Imperator, tum multi præterea Græci, quorum omnium, qui aderant, uocibus ter decantata illa uerba accepimus; A PATRE FILIOQVE PROCEDIT: tum postremo Florentiæ Eu-

genij IIII. temporibus res transacta est; quæ toties decertata, Græcis id contendentibus, in eandem tamen rationem, ijsdem maxime consentientibus, semper diiudicata est. Sed illi qui rerum nostrarum odio ualde per se commoti sunt semper; constans illud ac perpetuum tot conciliorum sanctissimum iudicium ita fastidiose contempsere: ut si cæco illo mentis errore capti, ad sanitatem aliquando redierunt, atque ad fidei nostræ societatem adiuncti sunt: illa quidem societatis coniunctio; cum malus eorum esset animus, mala mens; insidiarum denique plena fuisse uideatur. Quæ res cum alias, ut dixi, animaduerti potest, tum quo tempore in bello sacro & Hierosolymitano Latinos ipsi oppugnarunt non sine aliqua perfidiæ ac proditionis infamia; tum etiam, cum Constantinopolis a Turcis barbaris & crudelissimis hominibus capta est. eo enim tempore in illa præsentis fere periculi tẽpestate nihil aliud uocibus & clamoribus egerunt, quam ut Florentini concilij sanctissimum de Spiritu sancto decretum induceretur, in quo tollendo cum obstinate operam ponerent; neque principis sui Constantini hortatu, neque impendenti summo & salutis, & fortunarum discrimine unquam commoueri potuerunt, ut militibus nostris Venetis & Genuensibus, illorum patriam acerrime defendentibus, frumentum suppeditarent, quod ipsi præ odio compresserant. Tanta igitur fuit odij uis, ut Mahumetanis impurissimis hominibus, christianoque nomini sempiternis hostibus turpiter seruire maluerint, quam commune nobiscum sanctæ societatis uinculum cum dignitate perpetuo seruare. Itaque cum tam pertinaciter nobis illi infensi fuerint; ut tot sæculis, totue concilijs conciliandæ secum concordiæ causa habitis, in summa causæ æquitate illud ab ijs impetrare non potuerimus, ut in fidei nostræ catholicæ societate permanerent: pertinacia sua tandem hoc effecerunt, ut & ipsi fortunas, libertatem, ac salutem amitterent; & Græcia florentissima illorum quondam patria, hodie, pro dolor, ciuium suorum culpa prope nulla sit. Id quod eodem pæne scelere Africæ item euenit, ubi iam est neque Christus, neque ecclesia. cum enim primum Diuo Augustino mortuo factum est Aurelij cuiusdam episcopi nefario consilio, ut in Romani Pontificis officio non maneret; tum in Alarici primum, deinde Gensrici Vandalorum regum potestatem uenit; postea a Sarracenis hominibus uexata; templis inflammatis, excisaque Dei religione; ipsa denique omnino a Turcis lacerata tenetur. Siquæ uero reliquæ sunt nationes, quæ Græcorum aut Afrorum hominum facta imitatæ ab Romana Ecclesia dissentiunt, cui

parere

parere uel Dei præcepto omnes maxime debent, qui se saluos esse uolunt; etsi hæ maximis interiectis spatijs illorum calamitates uident; eadem tamen cum illis contracta sceleris culpa, cum ex alieno periculo discant, aliquo casu posse euenire, ut in idem calamitatum discrimen ipsæ incurrant; illud sedulo agere debent, quod ab illis actum iri, Deo iuuante, non solum optare, sed sperare omnino possumus; si explosa impiorum hominum impia, pestiferaq; disciplina, maiorum suorum præceptis, atque institutis, quæ illi posteris suis, non ad interitum, sed ad salutem, & bene beateque uiuendum exemplo esse uoluerunt; ijs obtemperabunt ita, ut maxime decet, sancte ac religiose. Sed ut ad id iam redeam Amplissime Cardinalis, quo omnis huiusce susceptæ orationis propositum pertinet: deturpatam hæresum sordibus Græciam, de Spiritu sancto nobiscum pugnantem, rerumque nostrarum inuidia, aut odio inflammatam, Ecclesiæ Romanæ minus obedientem; atque iccirco, ut D. Brigidæ præsensionibus sæpe illi significatum fuerat, Turcis immanibus hominibus fœde seruientem nos cernimus; quam in fidei officio antea manentem, omnique omnium rerum genere florentissimam uidit atque admirata est antiquitas. etenim si ultima pæne illa nascentis ecclesiæ tempora satis consideramus, ita bene institutam illam prouinciam plane animaduertemus, ut, etsi Græci posteriores rebus aut pie aut præclare gestis obscuri plane sunt; solaque aliqua repentina rebellione insaniaq; nobiles; in Græcorum tamen ueterum genere cum ceterarum uirtutum splendorem, tum priscæ sanctæque religionis decus spectare facile possimus. est profecto, cur omnium iudicio ueteri Græciæ tantum tribuamus, quantum sane debemus; debemus autem uel plurimum. Et quanquam in prouincia illa iam deprauata fuere, ut dixi, furiosi nebulones, ac nescio qui Nili Thessalonicenses, & Barlahami quidam monachi ipsa nominis specie religiosi, re autem solidæ germanæque religioni ualde repugnantes, qui rebus nostris nocere studuerunt; in eadem etiam male instituta non defuere tamen, ut in omni multitudine fit, uiri boni, & ueritatis amatores, Cydonij, Calecij, Gennadij, Bessariones, & ceteri uetere Græcia digni, qui fidei nostræ patrocinium contra suos pio fortique animo susceperunt. Itaque si ijs corruptæ iam Græciæ temporibus in tantis & opinionis & morum erroribus, summaq; rerum perturbatione, antiquæ religionis assidui extitere uindices, acerrimiq; fidei Romanæ defensores Græci complures; illud manifesto compertum est, quo tempore illa in officio pietatis catholicæq; fidei permansit, numerosam in ea fuisse

 quasiq;

quaſiq; prætoriam optimorum uirorum, ac religioſorum eruditorũq; hominum cohortem. hoc indicant res in Græcia fidei nomine pie fortiterque geſtæ. nemoque ita parum prudens eſt, atque adeo in rep. chriſtiana rudis, qui omnino non intelligat, quanto fidei pietatisque chriſtianæ ſtudio, turbulentiſſimis eccleſiæ temporibus, ueteris Græciæ patres eas res geſſerint, quarum exemplo poſtea tum placati ſunt ij, quorum animus aliqua offenſione ducebatur; tum illi plane incitati, qui aut natura, aut temporum uitio fuerant ad pie religioſeque agendum tardiores. Quamobrem illi, atque adeo hi maiorum ſuorum uel exemplis, uel ſanctiſſimis inſtitutis adducti, repente mutata uoluntate, nihil poſtea potius atque antiquius habuere, quam ut in præclaris rectæ fidei religionisque factis ſibi ſtatuerent bene & uiuendi et agendi præſidium. Nihil eſt, cur iam commemorem, quæ a trecentis illis Græciæ patribus Niceæ contra Arium; quæ ab alijs Conſtantinopoli contra Macedonium; quæ Epheſi a multis contra Neſtorium; quæ a plurimis Chalcedone contra Eutychem ſumma cum ueræ religionis laude geſta ſunt. Harum quidem rerum pie ſancteq; geſtarum monumenta omnium fere linguarum uocibus expreſſa ita animaduertimus, ut cum omnes omnium generum uirtutes, tum ſummum in illis fidei lumen fuiſſe aperte uideamus. Quis autem non cum quadam animi delectatione mente non repetit euangelicas illorum actiones? quotusquiſque eſt a rerum noſtrarum ſenſu ita auerſus, quin uideat ueterum Græcorum ſtudium, atque omne pietatis officium erga Eccleſiam Romanam? quoties ſedibus illi ſuis expulſi, quales fuere Athanaſius, Paulus Conſtantinopolitanus, Chryſoſtomus, ac ceteri, hique uel maximis locorum interuallis diſiunctiſſimi ad hanc ſummam defenſionis arcem confugerunt? quoties in rebus dubijs, quæ magnæ erant, magnæq; deliberationis Romanos Pontifices, ſummos totius chriſtianæ religionis principes conſuluerunt; ut uno eodemque uitæ ac diſciplinæ chriſtianæ modo nobiſcum illi cenſerentur? prætereo reliqua; uno uerbo dicam: bene merita eſt de nobis uetus Græcia, & ſi quæ unquam ulla poſtea illius reliqua pars fuit, quæ tales uiros tulerit, quales certe in illa antiqua bene inſtituta Græcia fuiſſe cognouimus; ſanctiſſimos ſcilicet homines, optimeque de Eccleſia Dei meritos, Athanaſios, Baſilios, Cyrillos, ac denique reliquos innumerabiles illius gentis patres, quos fidei caritatisq; meritis excellentes Deus in cælum uocauit. In ijs quidem patribus eſt, cur multum etiam a nobis tribuatur Nyſeno *Gregorio; qui etſi non illis Græcis theologiæ chriſtianæ principibus; multis tamen ſummis*

mis antiquæ Græciæ uiris & doctrina & sanctitate præluxit. Huius præstantissimi uiri librum, qui de uirginitate inscribitur, superiore anno conuerti, ex quo plane sensi illum fuisse hominem doctum, ac uirum sane bonum: & ne uidear laudare hominem a nostra religione alienum, talem Nysenum ego interpretando cognoui, ut apud antiquos illos Græciæ homines summam christiani hominis laudem consecutus uideatur. in qua sententia me postea ualde confirmarunt eiusdem hæ, quas itidem latine reddidi, tum de oratione Domini, tum de beata uita comparanda conciones: in quibus cum omnia omnium uirtutum non adumbrata dico, sed expressa signa appareant; tum elucet maxime officium perfecti & christiani hominis. Quæ uero ad uiri politici, liberaliterque educati uitam, mores, et officia pertinent, etsi horum omnium præcepta nobilissimos philosophos, longeque principes tradidisse legimus, ita de ijsdem tamen Nysenus disputat, ut hoc genere illis posterior esse nullo pacto possit. Sed quoniam perfectius aliquid religionis nostræ lex postulat, quam quæ ab illis tradita & præcepta sunt: summam illam perfectioris uitæ rationem magnificis, atque adeo rei ipsius grauitate dignis sententijs ueritatis quasi diplomate comprobatis ita hic noster explicat, ut incredibilem illam perfecti expectationem cum uel apud exteros populos concitare queat, tum nobis, qui in hac christiana repub. nati atque educati sumus, animos addat, incitatioresque aliquanto ad recte agendum faciat. nam explosa tacite illa ueterum omnium philosophorum de summo bono sententia, nihil omnino præstabilius esse ostendit uita christiana; quæ plena & conferta bonis moribus, euangelicisque actionibus fulta, ac spe futuræ salutis munita, uere beata uita nominanda est. atque in hac quidem re exponenda sic ille uersatur, ut quod ad illius uitæ degendæ rationem usumq; homini christiano sit adiumento, nihil pæne in oculis omnium poni possit aut illustrius, aut clarius. Graues autem locos neque hic præterit. Varia fuit, atque multiplex de libero arbitrio semper contentio, non modo christianorum memoria, sed philosophorum etiam ætate. Conqueritur enim Oenomaus Cynicus Democritum animos fecisse seruos; Chrysippum uero semiseruos. Cicero autem, ut placet D. Augustino, dum facere eos conatur liberos, repudiata Dei prouidentia, illos uere facit sacrilegos. Christianorum uero tempore Bardessanes quidam Edissenus in hoc errore Stoicis assentitur. Secuti sunt Manichæi, Priscilliani, & Pelagiani, qui uarie atque impie hac ipsa in re opinati sunt. Hic noster etsi copiose omniũ Philosophorum in hac hæresi uersantium

 refu-

refutauit ſententias in libro, qui inſcribitur de homine; in his tamen concionibus ſæpe hæreticorũ impios huius generis errores plane eripit. Contra uero Græcos de ſpiritu ſancto ſæpe, ut dixi, nobiſcum pugnantes unus hic Græcus uel ſatis eſſe potuit ad infringendam eorum improbam audaciam, cum huius ſanctiſſimæ rei nobiſcum ſuſcipiat patrocinium. Quoniam igitur ex ijs, quæ commemoraui, Nyſenum cognoſcimus non unum eſſe ex ijs Græcis, quos rebus noſtris inimicos oſtendi, ſed ex illis plane priſcæ Græciæ patribus, quorum memoriæ tantum debemus, quantum nos quidem debere indicant eorum præclara tum ſacrarum litterarum, tum religioſarum actionum monumenta: æquiſſimum certe fuit, ac maxime pium, ut huic ſanctiſſimo uiro optime de eccleſia merito hæc gratia referretur; ut quæcunque illius ſcripta, partim uitio temporum, partim hoſtium iniuria in tenebris adhuc latuerunt; ea in lucem reuocata ſempiternæ traderentur poſterorum memoriæ. Cui quidem rei cum iam optime conſultum ſit ſumma liberalitate Pontificis Maximi Pij IIII. auunculi tui, qui uiris de eccleſia bene meritis debitam gratiam & habere & referre ſtudet: nolo equidem plura. tantum illud dicam, ad ceteras ſummas laudes hanc illi maximam accedere ex horum ueterum patrum libris, quos diu occultatos, in apertum proferendos liberaliter & impenſe curat. Cum enim in eo ipſe uehementer elaboret, ut hæreſum peſte depulſa, ueteris diſciplinæ non modo ſpecies aliqua, aut color, ſed uires eius ac nerui chriſtianæ reip. reſtituantur; cumque multa ad hanc ipſam rem perficiendam adiumenta inuenerit; hoc etiam addito auxilio, quod in ueterum patrum ſcriptis diuulgandis eſt non minimum; præſertim cum in illis uetus illa bene chriſtianeque uiuendi ratio contineatur: eam profecto illius reſtitutæ laudem aſſequetur, quæ propria eſt, ac perpetua optimorum Pontificum. hoc namque pacto ſublatis hæreſum ſordibus, ereptisque morum erroribus, ſanctiſſimaque introducta uitæ conſuetudine, res ad eam ſpeciem traducetur; ut cum gaudium ſempiternum, atque omnibus numeris abſoluta tranquillitas præclaris his ſuis conſilijs actionibusq; cunctæ pariatur eccleſiæ; tum ſibi gloria tribuatur, quæ in omnes partes litterarum uocibus diffuſa a ſilentio hominum plane perpetuo uindicetur. Cum uero, optime Borromæe, præter cetera, quæ multa, & egregia illa quidem habes tum ſcientiarum, tum uirtutum ornamenta; ad ueterem illam etiam, quæ in antiquorum patrum, ut dixi, monumentis elucet, bene Chriſtianeque uiuendi diſciplinam te ita inſtitueris, ut quæ duæ uirtutes in homine Chriſtiano ad laudem

dem maxime insignes sunt & habentur, iustitiæ atque caritatis laudibus ualde præstes: ego optimum factu putaui, ut has Nyseni Gregorij summi & religiosi uiri conciones in nomine tuo diuulgarem. Cum præsertim quibus uirtutibus ipse excellas, earum ipsarum in his non modo adumbratio aliqua sit, sed uera solidaque expressio. Quæ res etsi me ualde primum commonuit, uel potius commouit, tamen ratio ipsa utique postulabat, ut facerem. Cum enim sim, & uiuam apud Episcopum Vrbini; qui ut est omnis egregiæ uirtutis æstimator acerrimus; ita uirtutum tuarum solidæ ueræq; laudi tam ualde fauet, quam qui maxime: putabam propterea me parum prudenter, uel ingrate potius facturum, si contra deliberassem, atque ego feci: præsertim cum constanti quadam illius optimi uiri patroni mei de uirtutibus tuis prædicatione factum sit; ut studio quodam incredibili inflammatus sim colendæ amplitudinis tuæ. Itaque cum ita se res habeat; illud a te peto & quæso, ut, quæ tua est humanitas, libenti animo accipias has Nyseni conciones, quæ a me conuersæ, & in publicum propositæ nomini tuo commendantur. Optarem equidem ac uellem ita a me latine eas redditas esse, ut illius sanctissimi hominis, quem summe laudaui, laudibus hac mea interpretatione, si minus additum est, non detractum saltem esse uideretur. id autem me assecutum arbitrabor, si tua auctoritate illarum patrocinium suscipies. ad quam rem etsi egregia ista tua natura te ualde hortatur; non parum tamen ad eam ipsam ualere debet animi mei propensio, quæ incredibilis est, & prope singularis erga Amplitudinem tuam. Vale Optime Cardinalis.

Petrus Galesinius lectori S.

NON sine causa a Romanis Pontificibus, sanctissimis uiris, Gelasio in primis & Nicolao factum esse legimus; ut, decretis promulgatis libros ipsi præscriberent, quos aut aspernarentur, aut sequerentur ij, qui christianæ ueritatis studiosi & haberi, & esse uellent. nam cum illud obnixe fecerint aduersarii, ut libris apocryphis imperitam deciperent multitudinem; illorum improbitati hac ratione occursum est. qua quidem olim etiam usus Serapio VII. *Antiochiæ episcopus illorum audaciam retudit, qui in Rossensi parœcia, quæ Antiochiæ est, euagelium falso Apostoli Petri nomine inscriptum, ad tuendos errores suos malitiose diuulgarunt. Quare cum non omnibus notus sit Gregorius* Nysenus, *neue eius scripta propterea in eo apocryphorum numero haberentur; his concionibus, quas conuerti, illius uitam adscribere non alienum duxi; ut cum cognitum ex ea fuerit, ac perspectum, quam ualde huic sanctissimo uiro ac eruditissimo ad auctoritatem suffragata sit sanctorum patrum tum Latinorum, tum Græcorum antiquitas; maior scriptis suis præbeatur assensus. Quæ uero de eius uita litteris tradidi, ea ab Hieronymo, Rufino, Metaphraste, Suida, Zonara, ac Nicephoro locupletissimis auctoribus accepi. Vale.*

VITA GREGORII NYSENI.

MVLTOS Gregorios nobis Græcia peperit: in quibus, ut est apud Nicephorum, tres maximi numerantur: unus Nanziazenus, qui singulari quadam diuinarum rerum cognitione præditus, summo patrum consensu Theologus dictus est; alter Neocæsariæ, quæ urbs in Ponto est, episcopus; quem rerum admirabilium, quas diuino plane auxilio adiutus ipse egit, laude præstantem uetus Græcia admirata est, Thaumaturgumque propterea nominauit; tertius est Nysenus Gregorius, de quo omnis est oratio. Hic Basilio patre optimo uiro natus, & fratre Basilio, qui in ueteribus illis Christianæ theologiæ, Græcis aucto-

auctoribus princeps habetur; uere dignus, Nysæ in Cappadocia prouincia factus episcopus, inde cognomen accepit. quo in munere ita se & doctrina, & uitæ sanctitate probauit omnibus; ut Nysenæ ecclesiæ lumen sit habitus atque ornamentum. hoc enim illi testimonium dat Nicephorus, quem modo nominaui. Certe si Gregorius cum Basilio fratre comparatur; ea re hic noster inferior est, quod ante episcopatum uxorem habuit; ut de se ipse testatur in eo libro, quem de uirginitate scriptum reliquit: ille uero superior, quod expers omnino matrimonii, uirginalis uitæ genus delegit. ab hac igitur laude felicior Basilius ceteris in rebus clarissimorum uirorũ, Rufini in primis iudicio, fratri non anteponitur. fuit enim in Nyseno eloquẽtia, omnis philosophiæ cognitio, rerumq; diuinarum & humanarum scientia, atque uitæ degendæ sanctissima ratio. nam eloquentiæ primum laudem cum maximam illi tribuat Suidas, tum permultis orationibus, quas habuit, talem se dicendo ostendit, ut huiusce rei gloria cum antiquis oratoribus contendisse uideatur. Mortuus est Constantinopoli Meletius, quo tempore contra Spiritus sancti oppugnatorem Macedoniũ habebatur concilium. e frequentissimo illo patrum conuentu deligitur Nysenus, qui laudationem habeat de optimo uiro. fuit enim Meletius tum Antiochiæ episcopus, cum in ea urbe res ecclesiastica in treis partes erat diuisa. ab una parte stabant Ariani, quorum episcopus erat Euzoius: ab altera Eustathiani, habebantque episcopum Paulinum: tertia pars Meletium episcopum sequebatur, quem putabat religionis suæ acerrimum defensorem. sed aliter res euenit, atque illi opinati sunt, qui eum episcopum esse iusserunt. nam in concionem uenit Meletius; præterq; omnium opinionem, qui illum fecerant episcopum; ueritatem populo ostendit; ac declarat filium patri esse omnino æqualem. accurrit diaconus; manibus os episcopi compressit. at ille tribus digitis distincte erectis, iisdemq; statim contractis, unoque solo rursum sublato, aperuit hoc pacto animi sui sententiam, quam aperte proloqui erat prohibitus. ita enim pie de Trinitate sensit, ut cum uerbis, quod sentiret,

expri-

exprimere non posset, ore impedito, digitorum significationibus id frequenti populo ostenderet. Huius igitur rei nomine multa Meletius perpessus, Constantinopoli denique moritur: illiusque bene de fide sentientis laudes mirifica oratione persequitur Nysenus. qui talem uirum laudando, se & eloquentissimum, & maximum sinceræ fidei defensorem ostendit. Extant præterea aliæ huius laudationes, de Basilio fratre, de Placilla, Pulcheriaq; Theodosii Iunioris filiabus; orationes item complures, de Christi die Natali, de Stephano protomartyre, de Theodoro martyre, & aliæ, quas omnes extremo huic sermoni adscribam. frequens enim hic maxime fuit in omni dicendi genere, ut satis etiam illæ indicant, quas multas habuit conciones. Philosophiæ uero cognitionem tenuit maximam, siquidem in peripateticis diu multumque uersatus, sæpe periculum fecit, quantum contra ipsum Peripateticorum principẽ Aristotelem potuerit. in Academiæ item spatiis exercitatus, Platonis sectatus est uestigia, tanquam ea essent ad ueram nostrarum rerum rationem accommodatiora. Itaque patefactis illius philosophi numeris, quibus nihil est obscurius, octo de philosophia libros edidit. Iam uero quanta rerum diuinarum humanarũque scientia in eo fuerit; id manifesto compertum est tum ex concionibus, quas in Ecclesiastem, & Canticum canticorum scripsit; tum ex libro, qui est de uita perfecta, tum ex eo qui sorori Macrinæ inscribitur de ratione animæ. Nicephorus putat in hunc ipsum de anima libellum coniectos esse ab hæreticis aliquot Origenis errores. contra tamen ex eo apparet, quoniam Parisiensis Acadimiæ auctoritate olim comprobatus in lucem uenit; alioquin illius Academiæ uiri, ut ueritatis perscrutatores diligentissimi, si quid in eo eiusmodi fuisset, nunquam id commisissent, ut in uulgus, præsertim auctoritate sua, esset prolatus. Sanctissima autem huius uiri uitæ ratio ex multis eius scriptis animaduertitur, quæ eius generis sunt, ut eorum multis præceptis in omnes partes Christianæ uitæ usus cõformari posset. Siquidẽ fuit Nysenus in oratione assiduus, in rebus aduersis, atque aduersariorũ iniuriis perferendis

tum

tum sua sponte patiētissimus, tum adhortationibus Nanziazeni, qui aliquot eo de genere ad illum epistolas exarauit. nostræ uero religionis extitit maximus defensor; heræticorum autem hostis acerrimus. hoc nos docēt libri contra Eunomiū, quos Hieronymo, & Nanziazeno ipse legit. ita denique in omni uita uixit, ut in sanctorum numerum sit adscriptus. cuius etiam laudi illud a Nicephoro tributum est, quod reliqui fratres eius, & soror Macrina in eundem numerum sint relati. Suidas tres commemorat huius præter Basilium, fratres sororemque Macrinam; Petrum unum, quem scribit fuisse episcopum; non meminit tamen cuius urbis: reliquos duos monachos attestatur. Nicephorus autem Petrum Sebastiæ episcopum; & tertium, quarto prætermisso, fratrem eius Naucratium nominat, qui adulta ætate monachus obiit. His igitur omnibus fratribus uixit superstes Nysenus: grataq; ac pia memoria omnes persecutus est. Basilii mortui opus, quod Hexaemeron dicunt, inchoatum perfecit: reliquorū autem fratrum Machrinæue sororis funeri iusta pie soluit. amicis item mortuis se gratum præstitit: nam Nanziazeni, quo familiariter usus est, mortui laudes cōscripsit: neque Græcis solum contentus, ad Latinorum amicitiam, Hieronymiq; in primis, cui ipse tribuit plurimum, se contulit. Certe dum uixit Nysenus, magna eius fuit auctoritas. Constantinopoli, qua in urbe, ut dixi, multorum patrum contra Macedonium maximus fuit cōuentus. in quibus patribus maximi duo fuere, Nanziazenus & Amphilochius, Iconii episcopus: in his tamen omnibus, ut scribit Zonaras, principem locum tenuit Nysenus; cuius etiam mortui uixit auctoritas. Nam Ephesino, & Niceno posteriore, ceterisque multis conciliis maxima huius patris habita ratio est. quanti uero eundem fecerint Græci uiri Ioannes Damascenus atque Elias Cretensis; id intelligitur ex eo, quod unus & item alter ex huius scriptis tantum hausit, quantū utriusq; arbitrio iudicioq; uisum est. in Latinis autem Diuus Thomas Aquinas, & Albertus magnus tantum huic nostro tribuerunt, ut maximis difficillimisq; quæstionibus explicandis in consilium eum maxime adhibeant. Hic summus

uir

uir uixit imperantibus Valentiniano & Valente; Gratiano item & Theodosiis, Maiore & Minore. obiit anno salutis circiter 383. tertio Idus Martii. quem diem festum ei celebrant Græci. Et quoniam quæcunque is scripsit, ea omnia ostendi supra me uelle extremo huic sermoni apponere; omnium illius librorum hæc, quæ uno aspectu aspiciatur, quasi tabella sit.

Liber de uirginitate.
Conciones V. de oratione Domini.
Conciones VIII. de beata uita comparanda.
Conciones VIII. in Ecclesiastem.
Cōciones XV. in Canticū canticorū
Theoriæ in Psalmos.
Libri VIII. de philosophia.
Epistola de professione Christiana.
Liber de homine.
Liber de anima ad Macrinam sororem ualde obscurus, Federico II. Imperatore a Pisano quodam causidico conuersus.
Liber de sancta Trinitate aduersus Iudæos.
De historia sex dierum, quibus mundus creatus est.
De sancta Christi natiuitate orat. 1
De sancto & salutari die Paschæ festo orationes. 2
De dormientibus oratio. 1
De laudibus XL. martyrū orat. 2
De assumptione Domini orat. 2
De sancto baptismate liber. 1
De resurrectione Domini orat. 3
De fide liber ad Simpliciū scriptus contra Arianos, et Eunomianos.
Liber de cognitione Dei contra Hebræos, quem uulgo adscribunt Chrisostomo.
Oratio Catechetica; in qua multa de transmutatione Dominici corporis & sanguinis.
Oratio in funere Basilii fratris.
Oratio in funere Placillæ.
Oratio in funere pulcheriæ.
Oratio in funere Meletii.
De uita Gregorij Thaumaturgi.
De Stephano protomartyre.
De Theodoro martyre.
De Gregorio Nanziazeno.
Oratio cōtra Albaniū de patris et filij, & spiritus sancti diuinitate.
Oratio ad Euagrium monachum de diuinitate.
Oratio ad Eustathium contra spiritus sancti oppugnatores.
Oratio ad Theophilum Alexandriæ episcopum scripta contra Apolinarium.
Libri contra Eunomium, quos & Hieronymo, & Nanziazeno legit.

Ex his Nyseni libris loci multi ab Euthymio monacho desumpti sunt contra hæreticos.

GREGORII NYSENI DE ORATIONE DOMINI CONCIO PRIMA.

DIVINO hoc ſermone precandi nobis in eo traditur ratio, quod dignis hoc ipſo ſermone diſcipulis, cum & audire & diſcere aliquid ipſi maxime cuperent, Dominus illis præſcribit, quo modo precationis ope captare conueniat attentionem Dei. Ego uero iis rebus, quæ hoc ipſo de genere litteris conſignatæ ſunt, pauca ſane quædam addere non dubitaui: quoniam frequentiſſimus hic populus, qui adeſt, non ſolum inſtituendus eſt, quo modo, ſed etiam quid a Deo precari omnino debeat; id quod fortaſſe pleriſque eſt inauditum & nouum; cum in hoc uitæ curriculo neglectum a compluribus ſit, & prætermiſſum ſacrum hoc diuinumque precum atque obſecrationis officium. Quare præclare quidem agi arbitror; primum ut quoad fieri poteſt, uerbis demonſtrem; neceſſe utique eſſe, ut precationi, ita enim Paulus inquit, inſtemus; deinde ut Dei nos dicto audientes ſimus; quo nobis præcipitur, quem precandi modum formamque ad Deum adhibere debeamus. Nam uel omnia potius in hoc uitæ ſpatio, quam precationis ſtudium expeti uideo: cumque ad aliud alius animum mentemque intenderit, hæc orationis uirtus in nullo eſt hominum ſtudio. Ad nũdinas multo mane ſurgit tabernarius, qui in ementiũ uulgus res ante ſuas proferre contendit, quam ceteri, qui eandem artem profitentur; ut cum alios ipſe anteuerterit, non ſolum quæ ſibi ex uſu eſſe intelligat, ea præoccu-

pet; uerum etiam ſua quamoptime diuendat. Eodem item modo qui aliquid mercatur, ne culpam in eo aliquam admittat, quod ad uſum ſuum pertineat, diligenter cum ipſe obſeruet, ne alius eum quis præueniat, non ad precationis locum, ſed in forum deſcendere properat. Cumque uniuerſi homines ad quæſtum cupiditate trahantur, in eoq; elaborent, ut uicinum præcurrant; præ libidine rerum, quas ipſi concupiſcunt, tempus a precationibus ereptum ad nundinationem traducunt. Non aliter ſane faciunt opifices, non aliter qui in cauſis uerſantur, non aliter reus, non aliter qui iudicio præeſt. omnes hi cum in eas res, quas illorum quiſque in manibus habet, omni ſtudio incumbant; cumque ad ea, quæ ſibi propoſita habent, ex rerum diuinarum cura cogitationeque damnum importari arbitrentur: actionis quidem eius, quæ ad preces diuinas pertinet, illos plane cepit obliuio. Etenim qui artem aliquam exercet, is inutile ad rem ſibi propoſitam, atque inane prorſus putat eſſe auxilium Dei; propterea ſupplici uerborum oratione prætermiſſa, ſpem omnem in manibus collocat, illum plane oblitus, qui dedit ei manus. Similiter etiam is, qui ſtudioſe operam dat, ut ſibi perfectam dicendi laudem comparet; nullam plane illius rationem habet, a quo loquendi uis eſt ei attributa; ſed cum tamquam ad ipſam naturæ uim ſeſe conformet; hic ſe ipſum intuetur, in artiumque liberalium ſtudiis totus inhæret; & quoniam ex ope diuina atque auxilio nihil ſibi commodi euenire exiſtimat, antiquius iſte ac potius habet diſciplinarum, quam precationis, ſtudium. Pari item ratione in reliquis huius uitæ inſtitutis propter curam quandam earum rerum, quæ terrenæ ſunt, & corporis

poris conſentaneæ ſenſibus; rerum magnarum diuinarumque ſtudium ab animo menteque abiicitur. idcirco maxima eſt, lateque patet in uita hæc peccandi uis, quæ humanis negotiis curisq; implicata, quotidie magis atque magis augetur; quo fit, ut & Dei cunctos capiat obliuio; & deprecationis uirtus non ea ſimul attingat, quæ mortalium cura expetuntur. Auaritia, quæ idolorum cultus eſt, in mercaturas inuadit: ita agricola non rebus ad uitæ uſum neceſſariis metitur agri labores; ſed ſi cupiditate eo prouehitur, ut plus habeat, magnum ſibi aditum ad peccandum facit; quoniam ſuis non contentus, in alienos fines late progreditur. unde qui mutuo uicinoque finium circuitu tenentur, ſi eodem hi auaritiæ morbo affecti ſunt, de prædii finibus contentiones eiuſmodi oriuntur, quarum difficilis eſt ſane curatio. itaque iræ, ad maleque agendum animi impetus, mutuique inſidiarum conatus, ſanguine ſæpe aut cæde quieſcunt. Eodem modo forenſium cauſarum ſtudia multiplicem delinquendi materiam præbent, ſexcentaque inueniunt iniquitatis patrocinia: ad quæſtum enim æquitatis lancem aut ſponte deprimit iudex, aut inuitus inique ſtatuit; nimirum cum is artificioſa quadam illorum diligentia, qui ueritatem obſcurare ſtudent, ſit in fraudem compulſus. At quid, ſi quis ſingulas res cõmemoret, quarum rerum modis iiſque multis & uariis peccati labes cum hac uita commiſcetur? nulla ſane huius rei cauſa origoq; exiſtet, niſi quoniam quæ manuum opera fieri expetunt homines, ad ea minime implorant auxilium Dei. Si ſtudium anteceſſerint preces, neque aditum, neque uiam ad animum reperit peccandi uis. Cum enim in corde animoque infixa hæreat recordatio Dei, tum nullam ſane

ad agendum uim habent aduersarii cogitationes. Eorum autem, qui controuersiam aliquam habent, cum ubique gentium iustitia conciliatrix sit, precădi etiam ratio, quæ exiguo labore fit copiosa fertilisque fructuum, agricolam a peccato ita prohibet, ut non amplius uim sentiat illius peccati, quod plus habendi cupiditate admittitur. Sic qui iter facit, sic qui in militiam proficiscitur, sic qui matrimonio iungi cogitat, sic omnis denique homo, qui ad aliquid appetitione trahitur; si precibus adhibitis res singulas quisque agit, cum ad malum contraria res nulla eius impellat animum; hunc optime scio a peccandi proposito sese ad id reuocaturum, quod maxime in optatis habeat. Sin autem quis a Deo alienus, totus in studio aliquo est; quoniam a Deo hic sese auertit, in cōtrario utique uersetur necesse est. Disiungitur autem is a Deo, qui precum ope se Deo minime coniungit. Quare primum hoc nos sermone ad illud erudiri oportet, ut perpetua ad Deum precatione utamur, neque in ea umquam cessemus; quandoquidem ex deprecandi studio illud sane euenit, ut cum Deo una simus: qui autem cum Deo est, seiunctus idem est a diabolo. Precum atque obsecrationis uis temperantiam tuetur, iram comprimit, ad modestiam reuocat superbiam, iniuriarū delet memoriam, inuidiam restinguit, tollit iniquitatem, & impietatem emendat. Precationis uis est corporis robur, recta iucundaque domus moderatio, præclara ciuitatis institutio, regni potentia, belli triumphus, pacis præsidium, coniunctio dissidensium, atque eorum, qui inter se iuncti sunt, omnino perseuerantia. Precum oratio uirginitatis est signum, fides matrimonii, uiatorum defensio, dormientium custos, uigilantium confi-

dentia

dentia, agricolarum fertilitas, atque nautarum denique ſalus. Precationis ſtudium reos defendit, laxat uinculis adſtrictos, requiem defatigatis præbet, conſolatur mæſtos, gaudentium animos deprimit, exhortationem lugentibus adhibet, matrimonio iunctis coronam imponit, naſcentium diem natalem colit, & mortuorum funeri iuſta ſoluit. Precãdi ratio eſt cum Deo colloquium, rerum ſub aſpectum non cadentium contemplatio, certa atque explorata eorum, quæ expectantur, fides, cum angelis dignitas, ad res honeſtas adhortatio, a turpibus auerſio, delinquentium emendatio, rerum cum præſentium uoluptas, tum futurarum firma ac ſtabilis fiducia. Precum oratio cetum Ionæ domicilium effecit; Ezechiam a mortis faucibus ad uitam reuocauit; a tribus pueris in uentum roris plenum flammam auertit; populo Iſraelitico de Iſmaelitis triumphum attulit; Aſſyriorum centum octoginta quinque millia una nocte cæcis haſtis, ab aſpectuque remotis, interfecit. atque innumerabilia præterea rerum geſtarum exempla inuenire licet; ex quibus plane intelligi ac perſpici poteſt, eorũ, quæ in hac uita præclare geruntur, nihil eſſe oratione precibusq; uel præſtantius uel ſublimius. Sed tempus iam eſt, ut deprecationi ſtudium demus, uel potius paululum etiam adiungamus. nam cum multæ res & uariæ illæ quidem ac diuerſæ diuino munere conceſſuue ſint nobis attributæ; ad gratiam de iis, quæ nos accepimus, referendam hoc unum ſolum habemus, ut & precum officiis, & gratiarum actionibus eum remuneremus, qui de nobis eſt cumulatiſſime meritus. Quare etſi uitam nos omnem & precando, & gratias agendo, in Dei colloquio conſuetudineque traduximus; tamen a gradu remuneratio-

nis

nis nos tantum abeſſe cenſeo, quantum ſi ne ab initio quidem in animum induxerimus gratiam ullam ei referre, a quo beneficia accepimus. Temporis dimenſio tribus his diffinitur ſpatiis, præterito, inſtanti, & futuro. his tribus Dei in nos continetur beneficẽtia. ſi inſtantis ſpatium temporis ratione luſtraueris, in eo uitam degis: ſi futurum, illud tempus tibi in ſpe eſt rerum, quæ expectantur: ſi præteritum, haud ſane eſſes, niſi ab eo ante hoc tu beneficium accepiſſes, ut in hanc lucem prodires, cum hoc, quod natus ſis, ab eo ipſe habueris: cumque de te bene merenti natus ſis, in eo uiuis & moueris, inquit apoſtolus, rerumq; futurarum expectationes ab ipſa hac proficiſcuntur beneficentia. Tu uero inſtantis dumtaxat temporis dominus es. itaque etſi ne punctum quidem temporis gratias agere intermittis; uix tamen præſentis temporis meritorum gratiam aſſequeris; cum neque conſequentis temporis, nec præteriti ad compenſanda ea, quæ debes, poſſis ullam inuenire rationem. At nos ut meritam debitamque gratiam referamus, tam longe profecto abſumus, ut ne id quidem, quod in poteſtate noſtra eſt, beneficium agnoſcamus. Neque ego illud dixerim, ut totum diem, ſed ne minimam quidem diei partem Dei contemplationi tribuamus. Quis terram mihi ſubiecit? quis ratione inuenit, ut natura hæc humida nauigatione tranſmitteretur? quis cælum fornicis inſtar fabricatus eſt? quis ſolis radios mihi quaſi faces profert? quis in conualles fontes deducit? quis fluuiorum curſus direxit? quis animalium, quæ ratione carent, uſum mihi ſuppeditauit? quis me, cum puluis eſſem inanis, & uitæ & mentis participem effecit? quis lutum hoc ad diuinæ formæ effinxit ſimilitudinem? quis eam,

quæ

quæ peccati ſordibus in me obſoleuit, Dei imaginem in priſtinam redegit gratiam? quis e paradiſi me domicilio eiecit, extraque uitalis arboris cibum longe poſuit, atque uitæ huius caducæ profundo me quaſi obrutum ad ueterem beatæ uitæ rationem ducit? Non eſt, quemadmodum diuinis eſt litteris proditum, qui hæc intelligat. Etenim ſi hæc ipſa nos cõtemplaremur, ſempiterna quidem gratiarum actione, perpetuaque memoria, in toto uitæ curſu illa proſequeremur. Iam uero in iis dumtaxat rebus, quæ caducæ ac fluxæ ſunt, uniuerſi fere generis humani euigilant curæ, in his ſtudiũ, in his cupiditas, in his cogitatio, ſpesq; denique ipſorum omnis uertitur, atque in eo, ut plus habeant, ſtudio uigil eſt atque attenta hominum natura; idque omnibus in rebus, in quibus contingere poteſt, ut plus ipſi aſſequantur; ſiue hoc ad honorem & gloriam, ſiue ad diuitiarum copias, ſiue ad aliquẽ appetitionis modum pertineat, ſemper in his omnibus ad plus appetendum procliue eſt hominum ingenium. De ueris autem Dei bonis, neque de iis, quæ apparent, neque de illis, quæ promiſſa ſunt, ne uerbum quidem ullum. Sed tempus iam inſtat, ut huiuſce precandi rationis uim ſententiamq; quantum in nobis eſt percipiamus atque intelligamus. nam illud exploratiſſimũ eſt, ut id aſſequamur, quod maxime uolumus, in eo plane conſiſtere, ut cognoſcamus qualis eſſe debeat petitionis noſtræ ratio. Ergo quæ documenti huius uis eſt ita iubentis? Orantes nolite multũ loqui, ſicut Ethnici faciũt. putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Fortaſſe igitur huius præcepti ſententia cum aperte ſit nobis dilucideq; explicata, per ſe ſatis perſpicua eſt, nullaq; eget ſublimiori mentis indagatione, niſi illud forte in

te inueſtigare conſentaneũ eſt; quæ ſub hac uoce multiloquii ſubiicienda ſit ſententia, ut eius uim cum nos perceperimus, longe ab eo digrediamur, quod nobis uetitum eſt. Ego ſane opinor hoc documento redigi ad moleſtiam, comprimique animi eorum mollitiem, qui in appetitionum inanium curis cogitationibusque uerſantur: atque eam ob cauſam nouum hoc & alienum nomen adhibuiſſe mihi uidetur Dominus, ut dementiam illorum reprehenderet, qui uim mentis in res diſſipant inanes, minimeque utiles: quandoquidem, quæ oratio prudens ſciensque ad utilia ſpectat, ea proprie nominatur oratio; quæ uero præ uoluptate quadam, quæ conſiſtendi uim non habet, in cupiditatibus, quæ nullæ ſunt, effunditur; hæc nõ oratio, ſed multiloquium eſt: ut ſi explicatius quis hoc interpretaretur, nugas, delirationem, ineptias diceret, & ſi quæ aliæ id generis ſunt nominum ſignificationes. Quid igitur conſilii hic nobis dat ſermo? ut ne precum ſcilicet tempore id nobis eueniat, quod in furioſorum hominum mente accidere ſolet. Vt enim illi, qui mente minus perfecta ſunt, quæ ex ſententia ſibi eueniunt, ea quemadmodum ſuccedant, non ſane intelligunt, ſed libere pro arbitratu ſuo proſperos quoſdam rerum ſucceſſus ſibi confingunt, cumq; theſauros & nuptias & regna & magnas, quæ ſuo nomine appellantur, urbes in cogitatione reponant; in eo quidem mente ſe uerſari opinantur, cuius ſpeciem illis inanis quædam ratiocinandi uis impreſſerit: ſed non nulli omnino ſunt, qui cum naturæ humanæ excedant modum, aliquid hac ipſa opinionum uanitate iuuenilius multo ſibi arrogant, aut uolucres cogitatione fiunt, aut tamquam ſtellæ rufulgent, aut manu montes ferunt, aut ad

cælum

cælum uiam ſibi muniunt, aut ex iuuenibus iam adoleſcẽtes facti ad mille ſunt annos diuturni, atq; alia id generis cogitata, quæcunque maxime inania, bullæq; ſimilia mens fatuis parit hominibus. Vt igitur in his rebus ſi quis ratione non eiuſmodi cogitationes comprehendit, ex quibus cupienti aliquid boni contingat; ſed in appetitionibus, quæ nullæ omnino ſunt, temere imprudenterque uerſatur; hic demens eſt ac miſer; cum tempus, quod ad ea agenda accommodatum eſt, de quibus deliberare admodum conducit, illud ipſum in inſomniis conſumat. Sic qui precandi tempore non ad ea quidem, quæ expediunt, ſed ad turbulentos animi motus mentem excitat, cum arbitretur iiſdem ipſis perturbationibus Deum ſimul affici; hic re uera deſipit, multaque temere effundit, quandoquidem precibus illud a Deo contendit, ut adiutor ille ſit & ſocius ineptiarum ſuarũ. uerbi gratia, accedet aliquis, ut Deum ſupplex oret; cumque ſummam eius, ad quem adit, poteſtatem animo menteque non comprehenderit, imprudẽter hic ſane facit, cum turpium petitionum humiliumq; iniuria illius afficiat maieſtatẽ. Vt ſi aliquis qui ex ſua ſumma paupertate, agreſtique uitæ inſtituto cauponis uaſa magni æſtimat, cum ad regem poſtea accedat, qui omnes opes largiri inſtituit: hic cum ab illo aliquid petere negligat, putat eum tanta dignitate uirum eſſe dignum, qui uaſa fingat; ut quod ſibi placeat, aliquid e luto efficiat: ſic qui precibus orationeque imprudenter utitur, non ad eius altitudinem, qui cuncta tribuit, animum erigit; ſed illud iſte exoptat, ut Deus opt. max. in cupiditatis ſuæ, quæ humilis eſt ac terrena, ſententiam deſcendat: id propterea turbulentas animi appetitiones ei præ ſe fert, qui animum intuetur:

tur:non ut mentis motibus,qui rationi minus conueni unt, remedium adhibeat: sed ut diuino auxilio accedente ipse deterior fiat. Ita enim hic ad Deum: Quoniam qui me grauiter lædit, aduersus eum odio meus afficitur animus: tu percute illum Domine. hocq; solum uoce contendit; Vtinã hæc mea animi perturbatio in te sit; & ad te mea hæc mala mẽs perueniat. Nam ut in hominum digladiationibus uni parti quispiam auxilium ferre non potest; nisi qui una cum eo,qui in aduersarium ira cõcitatus est; se quoque eidem iratum ostenderit: ita perspicuum est, qui Deum contra inimicum commouet, illud eum rogare, ut ira simul Deus incendatur,& socius particepsque fiat furoris sui. hoc autem est, ut Deus in perturbationes cadat, moreque hominum uarie afficiatur, atque ex optima natura in ferinam commutetur crudelitatem. Sic qui præ gloria insanit; qui ceteris præstare insolenter appetit; qui in iudiciali disceptatione superare festinat; qui in gymnicis ludis corona donari contendit; qui in theatris gloriæ laudem quærit; sæpeq; etiam is, qui insano adolescentiæ morbo contabuit;omnes hi nõ eas ad Deum preces adhibent, ut morbi illius ui liberentur, sed in se ipsis potius ea ægritudinis uis expleatur ac terminetur. Et quoniam animi affectiones remittere, id pro calamitate isti arbitrãtur,inepta huiusmodi oratione utuntur, cum illud a Deo supplices petant, ut adiutor ille sit & socius ægritudinis, qua ipsorum mentes perturbantur; utque ad eorum libidinem, id quod omnium difficillimum factu est, contrariis inter se motibus Deus impellatur: quippe cum & in benignitatem & acerbitatem dispertiantur isti actionem Dei. Quem enim propitium sibi ac misericordem esse flagitant, eundem tum acer-

bum, tum crudelem se aduersariis ostēdere omni obsecratione contendunt. O dementiam istorum, qui ita inepte precantur. Si enim illis crudelis est Deus, ne tibi quidem utique lenis erit; sin autē, quemadmodum ipse speras, tui misericordia commouetur, quid est, ut in contrariū se conuertat, clemētiamq; in acerbitatem commutet? At in promptu est eorum, quos contendere delectat, huius rei refutatio. ad acerbitatis enim suæ patrocinium statim in medium proferūt prophetarum exempla: Dauidem enim dicunt inimicorum interitum exoptare, precarique ut ipsi erubescant & conuertantur: Hieremiam illud in optatis habere, ut aduersarios ulciscatur Dominus: prophetam eū, qui Oseas dicitur, a Deo precibus rogare, ut hostibus ille det uuluam sine liberis & ubera arentia: atque pleraque quidem id generis alia sunt, quæ uulgo sacris litteris sparsa isti colligunt; nimirum cum illud teneant ac defendāt, oportere male se aduersariis precari, Deique benignitatem sibi sociam iniquitatis adiutricemque asciscere. Nos uero ut obiter eorum, qui ex eiusmodi occasione in contrariam adducti sunt opinionem, ineptis insulsisque sermonibus finem imponamus: hoc ad ea, quæcunque sigillatim commemorata sunt, afferemus. Nemo e sanctis uiris, qui uere diuino sunt afflati spiritu, quorumue instituta uitæ ad eorum, qui postea succedent, disciplinam Dei prouidētia litteris prodita sunt, in mala re aliqua studium posuisse demonstrabitur; sed illorum omne institutum eo spectat, ut naturam hanc, quæ multis est affecta uitiis, præceptorum rationibus ipsi excolerent. Quare quemadmodum is, qui supplex petit, ut ne sint, qui morbo laborent, neue qui egestate premantur; hic non hominum interitum, sed cum

morbi, tum etiam mendicitatis exitium fieri expetit: ita ſanctiſsimus quiſque uir cum illud orando petat, ut quod aduerſum eſt, infenſumque naturæ, id omnino ad interitum ruat: hoc imperitis hominibus ſuſpicionem attulit, acerbos eiuſmodi uiros eſſe atq; irato animo in mortalium genus. Nam pſalmorum etiam ſcriptor, cum ita loquitur: Deficiant peccatores a terra, & iniqui ita, ut non ſint. his uerbis & peccatum & iniquitatem tolli precatur: non enim homo homini inimicus; ſed mali conſilii deliberatio fecit, ut quod naturæ uinculo illigatum eſt, id in rebus inter ſeſe pugnantibus numeraretur. Ergo malum uitiumque ut intereat, ille rogat; at homo malum non eſt; quo enim pacto fit, ut malum ſit is, qui boni ſimilitudo eſt, atque imago? Itaque ſi ille execratur atque exoptat, ut inimici erubeſcant & conuertantur; ob oculos tibi ponit cateruam hoſtium, qui occulte oppugnant uitam hominum. De iis quidem hoſtibus Paulus etiam apertius diſſerit; cum luctationē quandam commemoret, quæ nobis eſt aduerſum principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. hoc eſt contra malorum geniorum inſidias, quibus malæ fortuitæq; peccandi cauſæ hominibus introducuntur, iracundiæ caſus, appetitionum occaſiones, inuidiæ, odii, ſuperbiæ, huiuſmodique malorum ſeges ac materia. Harum rerum inſidiis magnus propheta Dauid cum cuiuſque hominis animum circumueniri cerneret; hoc inimicorum genus execrando, illud orat, ut ipſi erubeſcāt; hoc eſt, ut ab iis utique ipſe liberetur. Nam illud natura comparatum eſt, ut qui luctando ſuperatus eſt, caſum hic erubeſcat: quemadmodum qui uicit, de uictoria ille triumphet. Atque illa

qui-

quidem ita se habere, indicat hoc precandi genus: Erubescant & conuertantur, qui quærunt animam meam. non enim iis male precatur, qui aut sibi facultatum iacturam ex insidiis inferre conantur, aut qui de prædii finibus litem intendunt, aut aliquam corpori minantur cladem; sed illos sane execratur, qui animo insidias ponunt. quæ autem insidiæ animo fiunt, hæ quidem quæ aliæ sunt, nisi a Deo abalienatio? Hominis uero animus a Deo nõ aliter sane auersus est, nisi cum perturbationibus ipse afficitur. Itaque ab omni perturbatione cum diuinitas utique uacua sit, quodcunque in motu perturbationeq; uersatur, id omne a Dei coniunctione auellitur. Hoc igitur ne sibi eueniat, precibus id agit, ut inimici sui erubescant & conuertantur. Id ipsum uero nihil perinde est, ac si deprecetur, ut sibi de hostibus uictoria contingat; qui sane hostes sunt animi commotiones. Eodem modo religionis erga Deum uera pietate ductus Hieremias & regis, qui præ multo idolorum cultu insaniebat, & eorum, qui illius imperio subiecti, eodem errore abstricti tenebantur; communi horum morbo, non suo curationes adhibet, sed pro his scilicet orationẽ habet: cum illud is flagitet, ut impetu aduersus eos concitato, qui se impietatis scelere illigassent, uniuersum mortalium genus se in officio pietatis contineat. Pari ratione propheta is qui Oseas dicitur, cum uitium animaduerteret multiplices fetus Iraelitis procreare: sterilitatis eos pœna condemnat, & acerba peccati ubera exarescere cupit; ut in illis hominibus uitii peccatique semen neque gignatur neq; alatur. Ideoq; in hæc uerba propheta erumpit: Da eis Domine uuluam sine liberis & ubera arentia. Ac si in sanctis quidem uiris alius aliquis esset inuẽtus, qui ira-

iracundiæ nomine accusaretur; ad hanc sane sententiam id ipsum omnino refertur. si enim quis malum reiicit, non hominem ipsum affliget. Deus mortem non effecit; hoc dictum audis: quid igitur est, quamobrem qui a morte inferenda abhorret, cum eo precibus agas, ut tuos perdat inimicos? non uiuentium interitu delectatur Dominus. At qui inepta precandi ratione utitur, & contra inimicos suos cōcitat clementiam Dei, hic illum adhortatur ut e mortalium miseriis capiat uoluptatem. At uero dicet aliquis; plerique & magistratus & opes & honores assecuti sunt, cum ad hæc potissimum consequenda preces adhibuerint: ac propter præclaros huiusmodi rerū successus Deo grati admodum habiti sunt: quid est igitur, cur nos prohibeas, ut hæc ipsa supplices a Deo petamus? Cuncta quidem Dei pendere uoluntate, diuinoque consilio hanc omnium uitā gubernari perspicuum est; neque huic dicto quispiam repugnat. sed harum quidem rerum, quæ precum uirtute perficiuntur, alias nos causas cognouimus: cum eas res non tanquam bona quædam Deus petentibus utique tribuat; sed ut his ipsis simplicium hominum in se confirmetur fides; utque cum in leuioribus petitionibus supplices a Deo paulatim exaudiri nos ex usu cognoscamus; ad cælestium munerum, quæ Deo conueniunt, appetitionem aliquando erigamur. Quemadmodum in liberis nostris hæc omnia fieri cernimus. quamdiu enim ii matrum mammis adhærent, tantum ab illis quærunt, quantum sane naturæ patitur ratio. cum uero infantes sensim adolescant, & aliquam incipiant habere loquendi uim; mammas illi quidem negligunt, & aliquid eiusmodi petunt, quod aut ad ornatum, aut ad uestitum, aut ad

ea pertineat, quibus puerorum oculi oblectari solent. Postea uero quam cõfirmata iam ætate simul cum corpore aucta est mentis uis, tum puerilibus omnibus remissis cupiditatibus, illa a parentibus deposcent, quæ perfecto sunt uitæ generi consentanea. Ita etiam Deus cum hominẽ assuefaciat, ut omnibus in rebus ad eum contueatur, iccirco sæpe ne leuiora quidem postulata negligit, ut rerum exiguarum beneficio is, qui tale munus impetrauit, ad cælestium rerum excitetur cupiditatem. Quare si aliquis obscuriori quidem loco natus, nobilis factus est & illustris, aut aliquid eorũ, quæ in hac uita expetuntur, utpote magistratus, opes, & splendorem adeptus est: tu uelim cõsideres hoc ipsum eo spectare, ut diuinæ potestatis tibi significatio fiat, ut cum hæc scilicet, quæ puerorum oblectamenta sunt, ille adeptus sit, tu maiora sane ac perfectiora supplex a patre tuo petas. Hæc uero sunt, quæ fructum animo pariunt. Nam uel absurdissimum quidem esset, eum, qui ad Deum supplex accedit, ab illo, qui ex omni æternitate est, ea quærere, quæ carnis sunt consentanea sensibus, a cælesti terrena, a sublimi humilia, ab eo, qui cælorum largitur regnum, terrenas has atque humiles prosperitates expetere, rerumq; alienarum, quæ sæpe necessario auferuntur, quarumq; & breuis est uoluptas & periculosa administratio, earum exiguum usum ab illo petere, qui cælestia donat. Cum igitur hæc postulare absurdum esse dicat, recte addidit: quẽadmodum Ethnici faciunt. Etenim in iis, quæ speciem aliquam præ se ferunt, studium ponere, est hoc illorũ proprium, qui nullam futuri æui spem, nullum iudicii metum, nullas geennæ minas, nullam præmiorum expectationem, nihil denique sibi eorum proponunt, quorum spes ex resurre-

reſurrectione nobis oſtenditur: Hi quidē cũ tanquam pecudes, ex potu & cibo hanc, quam uiuimus, uitam æſtiment; gutturi & uentri reliquiſque corporis indulgent uoluptatibus; in proſperoque felicium rerum ſuc ceſſu ponunt, aut quibuſdam præeſſe, ceteriſque præſta re; aut multam pecuniæ uim poſſidere; aut ſi quæ aliæ ſunt huius uitæ fraudes: his quidem hominibus ſi aliquis de futurarum rerum expectatione ſermonem habet; ac de paradiſo, de regno, de cæleſtis uitæ conſuetudine, eiuſmodique de rebus diſſerit: delirare hic pla ne uidetur. Itaque quoniam qui nulla ſpe tenentur, hoc omnino illi habent, ut huic uitæ prorſus addicti ſint; iccirco ſuperuacanea & inania quædam appetitioni accommodata, precum ope recte proſpereque ſibi euenire putant iſti uoluptatis amatores. Hæc Dominus oſtendit ad ethnicos pertinere; qui propterea quod rebus abſurdis obnixe operam dant, arbitrantur ad ea, quæ minime decent, impetrare auxilium Dei. pu tant enim, inquit, quod in multiloquio ſuo exaudian tur. Atq; illa quidem, quæ minime petenda ſunt, ex iis ſane cognouimus, de quibus habita eſt a nobis diſputa tio. Quæ uero nos a Deo precari conueniat, ex illis, quæ deinceps commemorabuntur, intelligemus munere ac benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria inſempiterna ætatum ſæcula. Amen.

CONCIO. II.

MAGNVS ille Moſes cum Iſraelitas in montem adduxit, ut ſacrorum diſciplinam ipſi cognoſcerent: non prius quidem eos dignos eſſe cenſuit, qui in Dei conſpectum uenirent, quam & ſanctimonia & expiationibus uitæ

illis integritatem, castitatemque præscripserit. Neque hoc etiam pacto in diuini numinis aspectum uenire ausi sunt: sed in omnem partem, unde conspectus fieret, ignis, nubes, fumus cũ obduceretur, buccinarumq; clãgor perstreperet; illi perterrefacti sunt; qui cum rursum ad se rediissent, quasi per se minime idonei esse possent, qui ad Deum proxime accederent, Deique præsentiam intuerentur; optimum factu esse arbitrati sunt, ut latorem legis Mosem diuinæ uoluntatis interpretem adhiberent. At uero lator legis noster Dominus Iesus Christus nos ad Deum perducturus non oratione nobis Sinai montẽ ostendit, qui aut nube obductus sit, aut fumo obscuratus; neque eos tubarum sonitus demonstrat, qui obscurum aliquid referant, terroremue incutiãt; neque tridui castitate indicta, aquis animi sordes eluit; neque omni multitudine ad imum montem relicta, aditum uni soli patefacit ad summum montem, qui densissima sit nube obtectus, qua occultetur gloria Dei: sed primum quidem loco montis nos ducit ad cælum ipsum, cuius ascendendi facultatem hominibus ob uirtutem dedit; deinde non spectatores solum diuinæ nos uirtutis facit, sed etiam socios ac participes; quodamque modo agit, ut proxime accedentes diuinæ naturæ cognatione iungamur. Neque eximiam is gloriam nube obscurat, ut ne ab illis quidem cernatur, qui ipsius gloriæ laudem quærunt: sed clarissimo doctrinæ lumine caliginem cum illuminauerit, illud porro effecit, ut ea gloria, quæ oratione minus exprimi potest, illustri splendore conspiciatur ab iis, qui puro castoque sint animo: neque aqua, quæ aliunde deriuatur, sed quæ in nobis ipsis exoritur, nos ille circumfundit; siue lacrymarum

profusionem aliquis hoc dixerit, siue puram animi conscientiam, quæ nullis uitii sordibus obsolescit. Castitatem uero cum non eam solum, quæ iusta coniugum consuetudine procuratur, sed illam etiam esse statuat, quæ ab omni turbulento carnis affectu pura est, hoc pacto ad Deum precum nos ope adducit. Nam supplicum uerborum huiusmodi uis est, ut nō uoces aliquas syllabarū impressione explanatas; sed ad Deum adeundi eam rationem percipiamus, quæ in cælesti perfectoq; uitæ instituto plane elucet. At diuinam quidem sacrarum rerum scientiam ex ipsis precum uerbis cognoscere licet: Cum oraueris, inquit, neque porro dixit, cum uoueris, sed cum oraueris; quasi antequam ad Deum supplex accedas, illud recte factum prius oportuit. Quid ergo inter hæc nomina differt? hoc sane, quod uotum est quarundam sponsio rerum, quæ pietatis religionisue causa Deo dicantur: oratio autem rerum est, quæ expediunt, petitio, quæ cum precibus simul iuncta ad Deum adhibetur. Itaque quoniam nos libere loqui oportet, cum ad Deum accedimus, ut quæ nobis conducunt, illi supplicemus; necessario quæcunque ad uoti nuncupationem pertinent, illa omnino præcedent, ut hoc ipsum cum nostra sponte perfecerimus, confidenti quidē animo id, quod petimus, a Deo impetrare nō recusemus. ideo propheta ita loquitur; Tibi reddam uota mea, quæ distinxerunt labia mea. & illud: Vouete et reddite Domino Deo uestro. Multis diuinarum litterarum locis significationem hanc inuenire licet, ita ut sponsionem eam (quemadmodum dictum est) quæ gratis sponteque facta sit, uoti uim habere cognoscamus: postea uero quam id præstitimus, quod est a nobis promissum, oratione adhibita uiā aditumque

ad

ad illum aperiri. Itaque illud Dominus præcipit, ut ne a Deo quidquã ante petatur, quam munus ſit aliquod allatum, quod Deo gratum ſit; uouendum primum ſci licet; deinde precandum. Verbi cauſa, ſi quis dixerit, ſementem prius fieri oportere, quam meſſem. Quare uoti nos ſemina ante ſpargere neceſſe eſt: hocque pacto maturis iam frugibus eos ſeminum fructus colligere, quibus adhibito precum præſidio gratia comparatur, quaſi huiuſmodi gratiæ adeptio non libere futura ſit, niſi uoto aliquo ante nuncupato, munereque oblato aditus patefiat; iccirco uotum deprecationem antecedat neceſſe eſt. Ergo quaſi uoto primum facto, Dominus diſcipulis inquit: Cum oraueritis, uelim uos ita dicatis; Pater noſter, qui es in cælis. Quis mihi dabit alas tanquam columbæ? in Pſalmis, inquit, quodam loco magnus Dauid. Ego quoque non dubitaui in hanc ipſam uocem erumpere: quis mihi dabit alas quaſi columbæ? ut horum uerborum magnitudinem alta quadam mente attingere queam, terraque omni relicta, uniuerſum ſuperem aerem, qui medio mundi loco diffunditur, & ſtellas omnemque illarum ornatum comprehendam: ac ne in iis quidem conſiſtam, ſed ulterius progrediar: & cũ per has, tum per illas tranſeam, quæ mouentur & traiiciuntur; eamque naturam attingam, quæ cum firma immobiliſque in ſe ipſa hæreat, tum eius ui cuncta feruntur, ac mouentur: quæ cum ab inexplicabili diuinæ ſapientiæ conſilio proficiſcantur; in eo, quod eſt, uniuerſa uertuntur: ita ut ab omnibus, quorum motus atque traiectiones fiunt, mente ego longe remotus, firmo ſtabilique animi mentisq; ſtatu primum cum eo, qui neque mouetur, neque mutatur, familiaritate quadam coniungar, deinde hac fa-

miliari conſuetudine introducta, illum patris nomine appellem. qua enim mente eum eſſe oportet, qui illum ita nominat? quanta loquendi libertate? qua conſcientia? ut cũ ex omnibus, quæ de Deo intelliguntur, ipſum Deum, quoad eius fieri poteſt, mente comprehenderit; eoque adductus ſit, ut rem difficilem atque inexplicabilem cognoſcat; percipiatque denique diuinam naturam, ipſam eſſe bonitatem, ſanctificationem, gaudium, potentiam, gloriam, integritatem, & eam ſane ipſam æternitatem, quæ ſemper eodem ſe modo habet: cumque & ex diuinis litteris, & ex meditationibus ſuis animo talia perceperit, quæcunque de Dei natura in cognitionẽ cadunt; tum hic omnino audebit eiuſmodi uocem proferre, talemque ſuum nominare patrem. nam perſpicuum eſt, quod ſi quis aliqua eſt ratione præditus, eademque ſibi non ineſſe intelligit, minime audebit talem emittere uocẽ, qua Deum patrem nominet: quoniam naturæ conſentaneum non eſt, ut qui bonus eſt, is improbæ uoluntatis conſiliiq; pater exiſtat; qui ſanctus eſt, filium habeat, qui huius ſit uitæ ſordibus inquinatus; qui nunquam mutatur, pater eius ſit, qui in omnem mutationem uertitur: is qui uera uita eſt, illius, qui eſt ob peccatum mortuus; qui incorruptus eſt, ab omnique labe purus, eorum, qui turpibus ſint infamiæ notis deturpati; qui liberalis eſt, eius auarus ſit filius: qui uirtute denique omni inſignis cernitur, filios habeat, qui aliquo ſcelere aſtricti deprehendantur. Si namque aliquis cum ſecum animo reputet, expiationibus adhuc ſe indigere, prauãq; conſcientiam ſuam norit ſordibus plenam, malarumq; libidinum notis inuſtam, antequam eiuſmodi multa uitiorum labe illam expurgauit; in Dei cognationem

iſte

iſte ſe hoc patris nomine inſinuat; ut iuſtum iniquus, & purum ſanctumq; patrem impurus homo nominet; contumeliarum ſane & maledictorum hæc plena ſunt nomina, cum improbitatis, ſcelerumque ſuorum parentem hic Deum appellet: patris enim uoce cauſa origoque eius ſignificatur naturæ, quæ ab eo exiſtit. Quare ſi aliquis, qui praua eſt mentis conſcientia, patrem ſibi Deum eſſe dicit, nihil ab eo diſſimile eſt, ac ſi illum uitiorum ſuorum & ducem & auctorem eſſe arguat. At nulla, ut eſt apud apoſtolum, luci cum tenebris eſt ſocietas, ſed lux luci cognata, æquitati æquitas, honeſtum honeſto, & quod ſanctum eſt, ſancto coniũgitur. quæ autem his repugnantia ſunt, eodem inter ſe cognationis uinculo continentur. Itaque ſi graui corde, ut ſacris in litteris ſcribitur, aliquis eſt, & mendacium quærit precum uerbis confiſus: hic ſciat non cæleſtem illum, ſed inferorum a ſe patrem uocari, qui & ipſe falſus eſt, & omnis conficti mendacii pater; hic quoniam peccatum eſt, peccatum gignit; atque eam ob cauſam qui animo ſunt perturbationibus affecto, ii ab apoſtolo dicuntur iræ filii: quiue eſt a uita auerſus, hic perditionis nominatur filius: quiue mollis eſt atque effeminatus, transfugarum puellarum filius appellatur. pari ratione contra qui pura integraque mentis conſcientia ſunt, hi filii lucis & diei nominantur; & potentiæ filii alii ſunt, qui Dei ſe uirtute roborauerunt. Quamobrem Dominus cum nos precibus adhibendis patris nomine Deũ appellare inſtituit, nihil aliud mea quidem ſententia efficit, niſi ut cæleſte illud diuinumque uitæ genus præſcribat. non enim is, qui ueritas eſt, nos falſa docet; ut dicamus ſcilicet nos tales eſſe, quales certe non ſumus, appellemusque nos ipſi eo nomine, quod

natura nobis minime conuenit, ſed illud; ut cum patrem nos eum uocamus, qui incorruptus eſt, iuſtus, ac bonus, uitæ integritate ueram cum illo cognationem oſtendamus. Vides quanta ſit nobis adhibēda præmeditatio, quod uitæ genus, quantũue ſtudium ſit in eo ponendum, ut hunc ipſum libere loquendi modum aſſequamur, elataque mēte non dubitemus patris nomine appellare Deum. Nam ſi pecuniarum uim ſpectas, aut ab hominibus gloriam expetis, aut cupiditatum fœdis inquinatus es affectibus; eiuſmodi deinde precũ orationem pronuncias: quid putas eum dicturum, qui uitæ tuæ conſuetudinem ſpectat, orationemque tuam audit? quandoquidem talia quædam uerba tanquam a Deo audire uideor, qui contra hominem id generis ita dicit: Tu ne, qui uitioſum corruptumque uitæ genus ſequeris, eum, a quo omnis eſt incorrupta integritas, patrem appellas? cur impura uoce tua nomen ſanctum & immortale inquinas? cur in nomine mentiris? cur naturæ, quæ integerrima eſt, turpes iniuriæ notas inuris? Si filius meus eſſes, neceſſe illud utiq; erat, ut uitæ etiam tuæ diſciplina uirtutum mearum notaretur ſignis: non naturæ meæ imaginem in te agnoſco; contrariarum in te rerum inſignia ſunt. quæ luci cum tenebris communitas? quæ uitæ & mortis cognatio? quæ naturalis eſt cum impura, rei puræ ac ſinceræ affinitas? maxima liberalis & auari diſſimilitudo eſt; miſericordis & eius, qui crudelis eſt, repugnantia eiuſmodi eſt, ut inter ſe cohærere nullo pacto queant. alius eſt ſane pater uitiorum tuorum: quandoquidem qui e me nati ſunt, paternarum uirtutum laude ornantur. ex miſericorde patre pius naſcitur & miſericors filius; e puro ſinceroque parente filius purus exiſtit & ſincerus:

ab interitu alienus eſt, qui ab immortali patre exoritur: atque e bono denique bonus; e iuſto naſcitur iuſtus: uos autem ignoro, unde ſitis. Quare in eiuſmodi precum atque obſecrationis ratione, prius, quam uitæ tuæ ſordes elueris, periculoſum eſt audere Deum nominare patrem tuum. At orationis rurſum uerba audiamus, ut repetita ſimul iterum commentatione res occultas atque abſtruſas nos aliquo modo mente comprehendamus. Pater noſter, qui es in cælis. uitæ igitur honeſtæ inſtituto Deum nobis conciliari, eſt mediocriter quidem a nobis demonſtratum in iis, quæ ſupra commemorauimus: ſed grauius tamen aliquid his uerbis ſentire mihi uidetur Dominus. Fortaſſe enim patriam, a cuius dignitate cecidimus, & cognationis, a qua eiecti ſumus, in memoriam nobis redigit. Etenim ex ea narratione, quæ de illo adoleſcente exponitur, qui paterna domo ſe remouerat, uitæque ſordibus, ut lutulentus ſus, ſeſe inquinauerat; mortalium miſeriam oſtendit Dominus, qui hiſtorici more narrat illius diſceſſum, & intemperãtem effuſumque uitæ modum. Neque prius ille ad eum, in quo a principio fuerat, felicem rerum ſtatum rediit, quam præſentem calamitatem ſenſerit, pænitentiæque uerba excogitarit; quæ maxime cum precum oratione conueniunt; dixit enim: Pater peccaui in cælum coram te. Hic ſane confitendo non addidiſſet, ſe in cælum peccaſſe, niſi ſibi perſuaſiſſet patriam eſſe cælum, quo relicto, peccatum admiſerat: quamobrem eius confeſſionis ratio, quam antea meditatus erat, illud efficit, ut ei pater ſe facilem præbeat, ita ut illi occurat, eiusque collum complexus oſculetur. Quæ res rationis ſignificat iugum, quod ex euangelii traditione eſt impoſitum homini, qui pri-

mum præcepti onus depulit, legemque seruare recusauit. stola autem illum indui iubet, non alia quidem, sed priore illa, qua ideo spoliatus fuerat, quoniam obedire neglexerat: qui simulatque degustauit ea, quibus prohibitus erat, nudum se esse uidit. Annulus autem in digito, pala insculpta, imaginem illum recuperasse ostendit. calceis uero pedes munit, ut si nudis calcaneis is appropinquet serpentis capiti, ne forte eueniat, ut eius morsu ipse feriatur. Quare ut a patris benignitate illic causa extitit, ut filius in patriam rediret domum: hæc autē domus cælum est, contra quod se peccasse patri fatetur: ita hic illud Dominum docere arbitror, ut pater is appelletur, qui in cælis est. Optimam igitur patriam tibi commemorat, ut cum uehementiori aliqua rerum honestarum cupiditate fueris affectus, uiæ appropinques, quæ in patriam reducit. Hæc porro uia, qua hominum natura in cælos fertur, non alia mihi ulla esse uidetur, nisi ut aliquis sit Dei similis: ex eo autem quod Dei quispiam similis est, iustus uir, sanctus, bonus; atque id generis homines fieri possunt, quorum signa si quis, quoad fieri potest, in se recte impresserit, is nullo negotio, suaque sponte cælestem in locum a terrena hac uitæ consuetudine commigrabit. non enim loci interuallo diuinitas & humanitas disiuncta est; ut difficili aliqua nobis atque ardua meditatione opus sit, ut hoc, quod e carne concretum est, graue illud quidem & terrenum ad id uitæ institutum traducatur, quod non corporis sensibus, sed mente continetur. Verum cum uirtus mente sit a uitio seiuncta, in solo quidem hominis consilio positum est ad utram rem is cupiditate impellatur. Itaque quoniam bonum deligere, nullum est amplius sane negotium: huiusque

deli-

deligendi consilium atque adeptionem ea consequuntur, quæ aliquis optime delegit; tu quidem potes, cum Deum mente comprehendas, in cælo uersari. si enim, inquit Ecclesiastes, in cælo Deus est; tu uero cupiditate quadam te Deo adiunxisti: necesse omnino est, quippe cum Deo iunctus sis, te simul eo loci esse, ubi est Deus. Quare qui illud tibi præscripsit, ut Deum orando patrem tuum esse diceres; nihil aliud hic præcipit, nisi ut diuino quodam uitæ instituto te cælestis patris similem omnino præberes: quemadmodum eiusmodi etiã præceptum alio loco clarius his uerbis explicatur. Estote perfecti ut & pater uester perfectus est. Itaq; si huius orationis uim atque sententiam iam intellexistis, tempus iam certe est animos uestros ita parare, ut aliquando uerba hæc proferre libere audeatis. Nam ueluti quæ ad Dei similitudinem spectant, ea uobis adeo cognita sunt, ut Dei uos filios fieri liceat: quoniã quicunq; illum receperunt, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri: recipit autem Deum in se aliquis, qui perfectam aliquam uirtutis formam induit. Ita propria quædam sunt formæ, ac speciei pessimæ signa; quæ si in aliquo impressa sunt, is cum contrariæ naturæ imaginem præ se ferat, filius Dei esse nullo modo potest. lubet ne certas turpissimæ formæ notas cognoscere? hæ sane sunt inuidia, calumniandi libido, superbia, auaritia, effrenata cupiditas, honorum insania. hæc & talia sunt, quibus aduersarii forma adumbratur atq; exprimitur. Quare qui sordium eiusmodi notas animo inusserit, si patrem hic nominauerit, qualis eius pater intelligetur? is scilicet, qui cognatione cũ illo iungitur, a quo uocatus est. hic autem non cælestis pater est, sed terrenus: cuius enim propinquitatis insignia præ se fert,

ille ſuam omnino cognationem agnoſcet. Itaque mali ſceleratiq; hominis preces quoad in ſcelere uitioq; adhibētur, tamdiu diaboli auxilium imploratur. abiectis autem peccati ſordibus, eius, qui ex uirtute uiuit, uox optimum patrem appellabit. Ergo cum ad Deum acceſſerimus, uitæ noſtræ rationem primum nos perquiramus, an diuina cognatione dignum nobiſcum aliquid afferamus; hoc pacto deinceps huiuſmodi orationem habere ne dubitemus. Qui enim nos patrem dicere inſtituit, mentiri prohibuit. Itaque is, qui illud uitæ inſtitutum tenet, quod a Dei cognatione nō abhorreat, hic recte in patriam illam cæleſtem ſpectat; cum & cælorum regem patris appellatione, & cæleſtem illam beatæ uitæ rationem patriæ nomine uocet. Quorſum huius conſilii propoſitum attinet? ut ſane cæleſtia ſapias; ubi Deus eſt, illic domicilii fundamenta ponas; eoq; animum tuum traducas, ut quoniam ubi eſt theſaurus tuus, ibi etiam erit cor tuum; paternam pulchritudinem perpetuo intueare, ad eiusq; ſimilitudinem tuum ornes animum. Non eſt apud Deum, ut in ſacris litteris ſcribitur, perſonarum acceptio. remotæ ſint a facie tua ſordes. ab inuidia, omniq; fœda labe purus eſt Deus. Neq; eiuſmodi animi perturbationum notæ impreſſæ in te ſint, non inuidia, non ſuperbia, nō res ullæ aliæ, quæ diuinā deturpent pulchritudinem. ſi igitur talis es, ne dubites uoce tua Deum appellare, patrēq; tuum eū dicere, qui in omnibus dominatur. Paternis ille oculis te aſpiciet, diuino te ſtolæ amictu induet, annulo decorabit te, pedes tuos quaſi calceis euangelicis ad cæleſte iter aptos efficiet, in cæleſtis te patriæ ſede collocabit, auctore Chriſto Ieſu domino noſtro, cui gloria potētiaue in ſempiterna ſæcula. Amē.

Concio

CONCIO III.

LEX, quæ futurorum bonorum umbrã habet, & obſcuris quibuſdam ſignificationibus ueritatem occulte demonſtrat, cum ſacerdotem, qui Deo precaturus eſt, in templi adytum introducit; primum quidem, cum is ingreditur, expiationibus quibuſdam atque aſperſionibus illum abluit, deinde ueſte ſacerdotali ex auro, purpura, uarioq; opere decore prætexta cum eum ornaret; & ad illius pectus inſigne quoddam, quod rationale dicebatur, apponeret; & ad imas ueſtis partes malis punicis floribusq; diſtinctas tintinnabula appenderet; & in ſumma parte lateribus pallium annecteret, & diademate caput ornaret; & comam multo unguenti odore perfunderet: hac ſane habitus ratione in templi adytum eum inducit, qui occulta ſacra faceret. At uero ſpiritalis lator legis dominus Ieſus Chriſtus, qui corporis integumentis legem denudat, obſcurasq; rerum, quæ adumbratæ ſunt, ſignificationes aperit; primum is quidem non ex omni multitudine unum delegit, quem in colloquium Dei adducat, ſed cum commune omnibus, qui uolunt, proponat ſacerdotii munus; uniuerſis æque hunc honorem tribuit. Deinde uero non alieno ornatu, pictoq; ac textili amictu ſacerdotis dignitatem ornari præcipit, ſed proprio decoroq; habitu illum induit, utpote cum pro purpurea uariaq; ueſte uirtutum eum decoret ornamentis, neque terreno auro ornat, ſed integra ſinceraq; mentis conſcientia illuſtrat animi pulchritudinem. Huic uero mitræ pretioſorum lapidum accommodat radios. hi autem ſunt, diui quidem Pauli iudicio, ſanctorum manda-

torum ſplendores. quin etiam periſcelide eam ueſtit partem, ad cuius ornatũ pertinet eiuſmodi ueſtimenti genus. tu autem non omnino ignoras hanc ipſam partem temperantiæ quaſi ueſte ornari. Extremis uero uitæ partibus mala punica, quæ mente inſita ſunt, flores & tintinnabula appendit. hæc optimo iure quis intellexerit ea,quæ in perfecto honeſtæ uitæ inſtituto officia elucent; ut in hoc uitæ ſpatio iter illuſtre fiat. Itaque his imis partibus cum pro tintinnabulis optimos uerborum fidei ſonitus; pro malo punico futuræ ſpei præparationem, quæ in obſcuriore uitæ ratione occulta latet; pro floribus maximum florentiſſimumq; paradiſi præmium appoſuerit; hoc denique pacto nos in adytum intimumq; templi locum introducit. eſt porro hoc adytum, neque inanima res, neque diſpertita, ſed cõmunis quaſi mentis cella; quæ ſi re quidem uera adytum eſt, eo neque uitio, nec impuris cogitationibus patens eſt atque expoſita uia. cæleſti uero cognitione caput ornat, cum non litterarum ſpeciem laminis oſtenderit aureis, ſed ipſum Deum rationi, quæ animi moderatrix eſt, impreſſerit. Vnguentum autem comæ id comparat, cuius odor ex intimis ipſius animi partibus effunditur. Victimam uero & ſacrificium Deo ſe offerri inſtituit, idq; myſtica oblatione, non aliud quidem aliquid,quam ſe ipſum. Nam quem Dominus ad hoc ſacerdotium elegit, is ſpiritus gladio, quod eſt uerbum Dei, cum carnis ſenſum ſuſtulerit, in templi adyto hic uerſetur; Deum omnino placat; cũ ad eiuſmodi ſacrificium Dominus ſe hoſtiam præbuerit; corpuſq; ſuum obtulerit hoſtiam uiuentem, ſanctam, & Deo placentem. At fortaſſe aliquis dicet, ex iis ipſis rebus minus in promptu eſſe orationis ſententiam,
quæ

quæ ad explicandum a nobis ſuſcepta eſt, eosq; nos cõmentari ſermones, qui rebus propoſitis non apte conueniunt. Quare quæ primum de precandi nos ratione commemorauimus, eorum rurſus mentio fiat. Nam qui ita ſe inſtituit, ut patris appellatione Deum libere nominare audeat; hic diligenter illa ſe ſtola induit, quam Dominus deſcripſit, tintinnabulis canit, malis punicis floret, mandatorum ſplendoribus in pectore elucet, patriarchas humeris portat, utpote cum illorum uirtutes, nominum loco, in proprium conuerterit ornatum; corona iuſtitiæ caput decorat, comam habet cæleſti unguenti odore perfuſam, in intimisq; cæleſtis domicilii adytis uerſatur; quæ ſi nulla impura cogitatione uiolantur, uere quidem adyta ſunt, cum nullus eo rerum malarum aditus patefiat. Iam uero qui ſacra facit & procurat, quo ſe modo is comparare debeat, cum ex iis, quæ explicata ſunt, iam ſatis demonſtrauerit oratio; illud ſane ſequitur, ut eas petitionis rationes conſideremus, quas ad Deum adhibere Dominus illum iuſſit, qui intra templi adytum uerſatur. Non enim quæ precum orationisq; uerba aperte expoſita ſunt, ita facilem nobis ſententiam præ ſe ferre uidentur, ut ea pateāt, omninoq; in promptu ſint. Sanctificetur, inquit, nomen tuum, adueniat regnum tuum. Quid hæc ad me? dixerit aliquis, aut is, qui peccatis aſtrictus ſe ipſum pænitētia excruciat, ut ſummam peccati uim aliquo pacto effugiat; aut ille, qui Dei opem implorat, cum in oculis conſpectuq; eum perpetuo habeat, qui ſibi quaſi tentationum telis aduerſatur. Hinc furores a rationis ſtatu illum deiiciunt; illinc mentis uim rerum abſurdarum reſtinguunt appetitiones; aliunde infinita illa plus habēdi ſitis animum quaſi

quaſi febris ardore accendit. ſuperbia, arrogantia, odium, reliquaq; nobis repugnantium multitudo, quaſi quædam hoſtium caterua, quæ nos undique obſideat, ad ultimum diſcrimen animum deducit. Is poſtea, qui firmiori præſidio hæc mala depellere conatur, quibus precum rationibus aptius utetur? an non quibus magnus Dauid? Libera me, inquit, ab iis, qui oderũt me. Item; Auertantur inimici mei retrorſum. & alibi; Da nobis auxilium de tribulatione. & quæcunque id generis alia, quibus cõtra aduerſarios implorare nos poſſumus auxilium Dei. At quid in præſentia ſtatuit deprecationis lex? Sanctificetur nomen tuum. An enim fieri poteſt, ut, etiam ſi hoc ipſum a me non exprimatur, ſanctum non ſit nomen Dei? Adueniat regnum tuum. Quid enim eſt, quod Dei poteſtate non contineatur? qui palmo (ita enim loquitur Eſaias) cælos & omnem terram ponderauit? & manu dimẽſus eſt omnes aquas? qui omnem & cæleſtem, & terrenam creatam naturam quaſi ulnis geſtat? Ergo ſi perpetuo ſanctum eſt nomen Dei; nihilq; eſt, quod non modo diuini imperii poteſtatem non effugiat, ſed cuncta quidem ſua poteſtate complectatur; hoc certe ſanctificationis additamento non indigebat is, qui cum ex omni parte perfectus ſit, tum nihil etiam ſibi omnino deeſt. quæ igitur ſubiecta eſt ſententia his precum uerbis? Sanctificetur nomẽ tuum, adueniat regnum tuum. An fortaſſe hoc deprecationis genere aliquid eiuſmodi Dominus præcipit; nempe cum ad bonum aliquod adipiſcendum imbecilla ſit hominũ natura, nihil propterea eorum, quæ expetuntur, poſſe fieri, niſi ope atque auxilio Dei id a nobis bonum perficiatur. Bonorum autem omnium illud caput eſt, ut in omni uita diuino

uino nomini gloria a me tribuatur.Hæc plane sentētia, re contraria apposita, erit nobis illustrior. Quodam loco ex diuinis litteris cognoui eos condemnari, quorum uitio fit, ut iniuriis maledictisq; Deus afficiatur. ita enim scriptum est: Væ illis, per quos nomen Dei blasphematur in gentibus. Hoc autem eiusmodi est. Qui ueritatis uerbo fidem non habuerunt, ii ad uitæ illorum institutum spectant, qui mysterii fidem acceperunt. cum igitur in aliquibus fidei nomen existat, nominiq; opposita repugnet eorum uitæ disciplina; utpote quoniam uel auaritiæ studio, quasi idolorum cultui ipsi addicti sunt; uel in ebrietatibus, comessationibusq; turpiter uersantur; uel in intemperantiæ sordibus, tanquam lutulenti sues, uolutantur; infidelium quidem hominū tum statim sermones in promptu sunt, qui culpam non in eos conferunt, qui se ita instituerunt, ut hac uitæ luce abutātur, sed illos hæc facere iactitant mysterii præcepto, cum mysteria diuina uiolare nemini liceat, ut aut cōtumeliosus quispiā, aut auarus, aut latro, aut aliquo alio scelere astrictus esse possit; nisi peccare esset illi lege permissum. eamq; ob causam id generis hominibus horribilia quædam Dominus his uerbis minitatur; Væ illis, per quos nomen meum blasphematur in gentibus. Iam uero si res hæc cognita est; tempus certe fert, ut quæ de contrario dicuntur, illa etiam intelligantur. Orare enim nos precariq; in primis arbitror; hocq; orationis caput sit oportet, ut Dei nomen ob uitæ nostræ institutum maledictis ne lacessatur, sed ut sanctificetur, gloriaq; afficiatur mysterii fides. Ergo sanctificetur in me, quod tui imperii potestatisq; nomē a me inuocatur, ut cum præclara facta operaq; uiderint homines, gloriam pa-

tri tribuant, qui in cælis eſt. Quis ita ferus eſt, atque adeo a ratione auerſus, ut cum in his, qui in Deum crediderunt, eam intueantur uitæ diſciplinam, quæ in perfecto uirtutis officio eluceat; quæ nullis peccatorũ ſordibus obſoleſcat, quæ ab omni impura cogitatione refugiat, quæ in temperantiæ moderatione cernatur, quæ prudentiæ grauitatem præ ſe ferat, quæ perturbationum impreſſionibus fortiter reſiſtat, quæ corporis uoluptatibus nullo pacto effeminetur, quæ a deliciis, mollitie, inſolentiq; ſuperbia uel maxime diſiuncta ſit, quæ cum hoc uitæ uſu tantum cõmunicet, quantũ ſummis pedibus terrã attingit, quæ non terrenis his uoluptatum blãditiis obruta ſit, ſed earũ inſidiarũ, quæ e ſenſibus oriuntur, uim ſuperet; quæ carnis aſtricta uinculis, illud inſtitutum tenere contẽdat, quod minus corporis eſt ſenſibus cõſentaneũ; quæ in uirtute adipiſcenda diuitias ſolum ponat; quæ in Dei familiari conſuetudine ſolam nobilitatem, opesq; ac dignitatem in eo eſſe putet, ut ſeſe ipſa uincat, neque humanis ſubiecta ſit perturbationibus; quæ ue denique terrenũ hunc uitæ curſum ſibi produci ægre ferat, atque ad otii portum, tanquam ii, qui maris incommoda patiuntur, peruenire feſtinet: an non in præclara eiuſmodi uitæ diſciplina, quod aliquis implorauerit, Dei nomẽ gloria laudeq; afficit? Quare qui his precum uerbis utitur, Sanctificetur nomen tuum: eorum, quæ commemorata ſunt, ui ac ſententia hæc ille exoptat atque precatur: utinam ego auxilii tui ope innocẽs, bonus, pius, ac religioſus efficiar, ab omniq; impura rei actione abſtineam, uera loquar, iuſtitiam colam, recta uia ambulem, ſapientiæ prudentiæq; exorner inſignibus. Hæc & talia continet breuis hæc petitionis ratio, quæ ad

Deum

Deum his precum uerbis adhibetur; ſanctificetur nomen tuum: nam Dei gloria in hominibus nō alio quidem modo prædicatur, niſi ut eorum uirtus per ſe teſtetur, cuncta bona a Dei poteſtate exiſtere. Quæ uero ſequitur deinceps oratio, illud ſane deprecatur, ut præſto ſit regnum Dei. An hoc flagitat, regem iam fieri eum, qui regni ſui imperio uniuerſa cōplectitur? perpetuoq; illum eſſe, qui eſt? quiue ſibi cōſtans eſt, neque unquam mutatur, a ſeſe diſcedere, in omnemq; mutationem impelli? Quid igitur ſibi uult hic precandi modus, quo expetitur regnum Dei? At ueram quidem huius rei ſententiam uideant ii, quibus ueritatis ſpiritus occulta aperit myſteria; nos uero hac ipſa de re ita ſentimus; unam ſcilicet eam, quæ maxime excellit, omnibusq; præſtat; uim, ſummamq; poteſtatem, ac ueram potentiam, quæ in uniuerſo mundo regnat, non aliquo tyrannico dominatu, nec metu, neque ui eum, qui parere recuſat, ſibi ſubigere: quoniam omni metu liberam ſolutamq; eſſe uirtutem, nulloq; dominatu teneri decet: de bonoq; deligendo ſponte fit deliberatio. uniuerſi autem boni caput illud eſt, ut uitali ſalutariq; ſubiiciatur poteſtati. Itaque quoniam hominum ingenium in hac boni deligendi ratione eſt ſæpe fraude erroreq; circumuentum; in contrariamq; partē multum habuit momenti ſæpe uoluntatis noſtræ propenſio; hominumq; uita rebus peſſimis undiq; oppreſſa tenetur; cum mors ſexcentis modis ſit naturæ immixta, quandoquidē omne uitii genus quaſi uia quædam exiſtit, quæ ad mortem ducit. Quoniam igitur omni ex parte hac ipſa tyrannide circumuenti ſumus; quaſiq; carnifice aliquo a morte, hoſtiliq; perturbationum impetu nos ſeruitutis uinculis illigati tenemur;

illud ſane optimo iure precibus obſecramus, ut adueniat regnum Dei. non enim interitus uim & illam quidem peſſimam aliter repellere poſſumus; niſi ea poteſtas, quæ uitalis eſt, in nobis uires recuperet. Itaque ſi regnum nobis Dei præſto eſſe precamur, hæc ſane a Deo maxima precum ui contendimus, ut ab interitu eripiamur, a morte liberemur, a peccati uinculis ſoluamur, ut ne amplius mortis ui imperioq; obſtricti teneamur, nec uitii dominatio quidquam in nobis ualeat; nec a noſtro aduerſario ſuperemur, nec ob pecca tum captiui in ſeruitutem abducamur; ſed adueniat regnum tuum; ut quarum perturbationum ui premimur, ea omnis in nihilum intereat: ut enim fumus, ſic illæ euaneſcant, ut cera, ſic ad nihilũ recidant: neque enim fumus, qui altius fertur, ullum naturæ ſuæ ueſti gium reliquit: & cera quæ in ignem cõiecta eſt, utique euaneſcit: quin etiam ille ſua ui cum flammam nutrie rit, in tenuemq; aerem ita conuerſus eſt, ut fumi ſpecies nusquam appareat: ſic cum in nos regnum Dei adueniet; cuncta tum, quæ in nobis dominantur, in nihilum occident. non enim lucis aduentũ expectant tenebræ; non adueniente ualetudine, remanet morbus; animoq; ſedato, a perturbationibusq; alieno nequicquam in eo efficiunt concitationes. irrita eſt mortis uis, nullusq; interitus, cum in nobis uita regnat, ac uis illa poteſt, quæ ab interitu uacat. Adueniat regnum tuum: ſuauis profecto uox, qua hæc a Deo pla ne rogamus; diſſipetur inſtructa inimici acies; externa ſubſidia pereant; pugna dirimatur, quæ carnis eſt acer rima contra ſpiritum; poteſtas uisq; regis mihi præſto ſit, Angelorum manus, maxima recte gubernantium multitudo; & legiones mihi eorum ſubueniant, qui a

dextris

dextris tibi assident, ut multitudinis aduersæ legiones cadant. Multum potest aduersarius, remotoq; auxilio tuo, formidolosus est atque inexpugnabilis. at ex quo tempore destitutus est? posteaquam scilicet regnum tuum apparuit, tum mæstitia, dolor, & luctus refugit; proq; his ingressa est uita, pax, & gaudium. Aut fortasse; quemadmodum hæc nobis sententia a Domino apertius explicatur; is qui regnum Dei aduentare postulat, Sancti spiritus auxilium atque opem implorat. sic enim pro eo, quod est, Adueniat regnum tuum, in euangelio legitur, Adueniat Spiritus sanctus tuus, qui clarificet nos. Quid ad hæc dicunt ii, qui insolenter se iactant contra Spiritum sanctum? qua isti mente sunt, ut hãc regiam dignitatem in humilem abiectãq; transferunt seruitutem? nã quod Lucas Spiritum sanctum dixit, id ipsum Matthæus regnum nominauit. quo pacto spiritus naturam in eam, quæ subiecta est, diducunt; cum eam sane naturam, quæ regnat, in illa collocent, quæ subiecta pareat? creata natura seruit; seruitus regnum sane non est, sed sanctus quidem spiritus regnum est; si regnum, utique regnat, nõ regno subiicitur; sin minus subiicitur, neque creata natura est. nã illud creatæ naturæ proprium est, ut seruiat. Ergo si spiritus regnat, quid est, quamobrem in ea natura, quæ subiecta paret, illum isti ponant, qui ne precari quidem unquam didicerunt? neque animaduertunt, quis sane ille sit, qui uiolata expiet, qui ue regni uim teneat. Adueniat, inquit, Spiritus sanctus, & clarificet nos. Ergo diuina & præcipua Sancti spiritus uis, atque actio in eo posita est, ut peccatorũ labem eluat. non enim sane quod mundum est, atque ab omnibus sordibus purum, eo indiget, a quo expietur atque

 abluatur.

abluatur. sed hoc quidem ipſum de unigenito etiam filio teſtatum reliquit his uerbis apoſtolus: Poſteaquã expiationem peccatorum fecit, ſedet ad dexteram maieſtatis Dei. Itaque utriuſque hoc munus eſt, tum Spiritus quidem, qui peccati maculam eluit, tum Ieſu Chriſti, qui expiationem effecit; quorum utriuſq; una actio eſt, eadẽq; eſt omnino poteſtas: actio enim omnis eſt poteſtatis uis, atque effectus. ſi igitur una eſt eorum poteſtas, quo pacto fiet, ut diuerſa putetur illorum natura, in quibus nullam nec actionis nec poteſtatis diſſimilitudinem reperimus? Vt enim cum duplex ſit propria ignis natura, una quidem quæ lumen, altera, quæ calorem æque impartit; in hac ipſa duplici natura putare non poſſumus aliquam rei ſubiectæ mutationem fieri; ſic ſi aliquis, qui ratione menteq; præditus eſt, e diuinis litteris unam & Ieſu & ſpiritus eſſe cognouit actionem, non in eam opinionem adducetur, ut diuerſam aliquam ipſorum naturam arbitretur, quin etiam eorum, qui pie religioſeq; de Deo opinãtur, ſententiis ante demonſtratum eſt, eandem cum in patre, tum in filio ineſſe naturam, neque fieri poſſe, ut quæ diuerſo genere ſint, Dei appellatione nominentur. quemadmodum neque architecti, opificisq; fundamentum eſt filius: neque aliquis ex iis, qui recte ſapiunt, domum ab architecto ædificatam dixerit; ſed cum naturæ coniunctionem & filii & patris oſtendat appellatio; neceſſe utique eſt, duos natura una iunctos eſſe, neque inuicem inter ſe differre. Quare ſi in patre natura ineſt filius: a filiiq; natura ex iiſdem actionibus cognitum eſt alienum non eſſe Spiritum ſanctũ, illud ſane ex iis conſequens eſt, ut cum ſanctæ trinitatis una eademq; demonſtrata ſit natura, tum neque,

quæ

quæ in ſingulis perſonis præcipua ſpectatur proprietas, ea confuſa ſit, neque permutata inuicem ſint notionis ſigna; ut in filium aut ſpiritum ſit perſonæ patris translatum ſignũ; aut filii rurſus uni ex iis, quos diximus, ſit accõmodatum; aut patri filioq; attributa appareat Sancti ſpiritus proprietas. ſed ſeparata in illis proprietatum conſideratur diſtinctio. proprium eſt patris, ut non ab aliqua cauſa exiſtat, id quod neque filii, neque ſpiritus proprium eſt: ſiquidem filius, ut ſacræ ſcribunt litteræ, a patre uenit; ſpiritusq; & a patre & a filio proficiſcitur. Sed quemadmodum ſine cauſa eſſe ſolius patris cum ſit, filio & ſpiritui conuenire non poteſt, ſic contra eſſe ex cauſa, quod proprium eſt filii & Spiritus ſancti, in patre conſiderari non poteſt, cum commune ſit filio & Spiritui ſancto, nõ eſſe ingenitos, ne aliqua in eo, de quo dicitur, cernatur cõfuſio: rurſus eorum diſtinctam proprietatibus differentiam ita inuenire licet; ut quod commune eſt, conſeruetur; quod uero proprium, id nullo modo cõmune ac promiſcuum fiat. Nam unigenitus filius a patre eſſe diuinis litteris dicitur, eiuſque proprietas in eo conſiſtit, quod is Dei uerbum nominatur. ſanctum autem ſpiritum a patre dicunt, & a filio proficiſci ſacræ atteſtantur litteræ: quandoquidem qui a Chriſto ſpiritum procedere negat; hic ſane ab eo alienus eſt. Qui igitur a Deo ſpiritus eſt, idem etiam Chriſti & ſpiritus. Filius uero, qui patris Dei eſt; is ſpiritus neque eſt, neque eſſe dicitur. non enim hæc argumentationis forma reciprocatur, ut æquali complexione uiciſſim conuertatur argumentum, ut ſi Chriſti ſpiritus dicitur, ita ipſius etiam ſpiritus nominetur Chriſtus. Quare cum proprietas eiuſmodi alterum ab altero aperte diſtincteq; ſecernat,

ſecernat,naturaq; cõmunis ex iiſdem oſtẽdatur actionibus; firma ſit pia de utriuſque diuinitate opinio; ut perſonarum numero trinitas exiſtat, in diuerſæq; naturæ partes non diuidatur. Quod cum ita omnino ſit, quæ illorum dementia eſt, qui Spiritum ſanctum oppugnant? an fortaſſe hoc, adueniat, ad dignitatẽ imminuendam ualere opinantur? Deinde an non iſti magnum Dauidem audiunt, qui patrem precibus ad ſe uenire contendit, clamatq;: Veni, ut ſaluos facias nos. ergo ſi patrem aduenire ſalutare eſt, quo modo, ut ſpiritus adueniat, hoc ignominioſum eſt? ſi peccatum expiare, id pro ſigno habent imminutæ dignitatis: tu audi perfidos Iudæos, qui peccata remittere, hoc ſolius Dei eſſe clamitant. Quid hic, inquiunt, loquitur blaſphemias? quis peccata poteſt remittere, niſi ſolus Deus? Ergo Deus ſi peccata remittit; ſi filius mundi peccata tollit; ſi Spiritus ſanctus peccata eorum abſterget, qui maculis illorum obſoleſcunt: quid ad hæc dicent ii, qui uitam ſuam oppugnant? At in nos adueniat, præſtoq; nobis ſit Spiritus ſanctus, qui eluat ſordes noſtras, atque idoneos efficiat nos, ut diuinas illas & cæleſtes ſuſcipiamus cogitationes, quæ precum ope adhibita nobis oſtenduntur uerbo Dei, cui gloria potentia ue in ſæcula ſæculorum. Amen.

CONCIO IIII.

MEDICVM quendam audiui, qui de ualetudinis habitu naturaque erudite diſſerebat: neque fortaſſe, quæ ille commemorauit, ſunt a recto animi noſtri ſtatu aliena. nam elementa, ex quibus nos compacti ſumus, cum modum ac temperationem abiecerint; hoc ille affirmabat

mabat mali cuiusdam habitus initium causamque existere. contraque si quæ perturbata, ab ordine suo discesserunt, rursus ad naturalem redeunt temperationem; id asseuerabat omnis causæ morbum efficientis esse medicinam. Atque eam ob causam illud considerandum esse hic arbitrabatur, quæ maxime in nobis cum illa ordine perturbata sint, sua præpotenti ui infirmam efficient eam auxilii partem, quæ a contrario elemento ad tuendam ualetudinem confertur. Verbi causa, si calor superat; ut ea pars adiuuetur, quæ inferior est; quod ue calore exarescit, id humore perfundatur: ne materia cum sensim deficiat; caloris uis, quæ per se consumitur, omnino in se arescat, planeque restinguatur. pari ratione in reliquis, quæ in nobis contraria cernuntur; in iis quidem, quæ modum excedunt, ut illa superandi uis consistat; parti, quæ superatur, opem arte adhibita afferre debemus: ut rebus his ita constitutis, elementoque aliquo æqualem alterius portionem non impediente, commoda corporis constituatur ualetudo; cum natura scilicet ex præpotenti ui non in uarietate inæquabili uersetur. Quorsum sane tam longe repetitum orationis exordium? fortasse nō a proposito remota est hæc præcepti ratio, neque longe disiuncta est ab eo argumento, quod nos primum suscepimus; nam ad contemplationem illud propositum est, quod orando dicimus, Fiat uoluntas tua. Quam uero ob causam huius, quod ad medicinam pertinet, præcepti mentionem fecerimus; ex iis, de quibus deinceps disputatio fiet, nos sane aperiemus. Genus humanum sana aliquando integraque mente fuit; utpote cum elementa quædam, hoc est animi motus æquabili inter se temperatione constarent, naturæ consensere rationi.

Sed

Sed poſtea quam appetendi uis uehementior eſſe cœpit, tum quæ in contrariis rebus cernitur affectio; nempe continentia, uicta eſt ac ſuperata ab ea parte, quæ uiribus præſtitit; cum nihil ſane eſſet, quo immoderata reprimeretur uis illa appetitionis, qua homines ad res turpes, & ad ea, quæ minime decent, præcipites trahuntur; quo factum eſt, ut pernicioſa illa peccati peſtis in naturam inuaſerit hominum. Quare is, qui animi morbis uerum affert remedium: quiue in hac humana uita eſt ob ægros homines uerſatus, cum morborum cauſas hac deprecandi ratione amoueat, in priſtinam nos quidem mentis ſanitatem reſtituit: mentis autem ſanitas, rectus eſt quidem explendæ diuinæ uoluntatis quaſi curſus; quemadmodum ſane contra ab eo diuino curſu deſiſtere, hoc ipſum animi morbus eſt, qui morte terminatur. Itaque quoniam optima uiuendi ratione in paradiſo relicta, nos mente tum infirma facti ſumus; cum illud ſcilicet contumaciæ uenenum copioſe hauſimus; eamque ob cauſam quoniam mortifera hac morbi ui eſt natura ſuperata; uerus quidem medicus præſto fuit, qui malo contrariis remediis depulſo, ut artis medicæ ratio præſcribit; eos, qui in morbum inciderant propterea quod a Dei uoluntate ſe abduxerunt; rurſus hos a morbo liberat; cum diuinæ ſeſe uoluntati coniunxerint. Nam hæc precandi ratio eſt medicina peccati, cuius quaſi morbo uexatur animus: quandoquidem qui animi dolore cruciatuque agitatur, precando cũ in hæc uerba erumpat; Fiat uoluntas tua: is omne illud prius uitæ genus, quod a Dei uoluntate abhorruit, neceſſe utique eſt accuſet, cunctaq; hæc confitendo ita percurrat: Quoniam ſuperiori uitæ meæ inſtituto propenſa in contrarium

rium uoluntas me ad id impulit, ut male impureque egerim, ſceleratoque tyranno operam nauauerim, ini micique ſententiam quaſi carnifex aliquis ego ſim con tra me ipſe executus: id propterea cum huius tandem calamitatis meæ miſericordia commouear; illud quæſo Domine, ut in me fiat uoluntas tua. nam ut in abditis obſcuriſque ſpeluncis nullæ, introducto lumine, tenebræ ſunt; ſic ſi tua erit in me uoluntas; mala omnis & abſurda illa quidem conſilii deliberatio in nihilum plane recidet: ſiquidem effrenatam impotentis animi appetitionem temperantia reprimet; ſuperbiam exhauriet humilis illa animi affectio; arrogantiæ morbo remedium afferet modeſtia; caritatisque & amoris uis infinitam repugnantium malorum turbam ab animo repellet. hæc enim caritatis uirtus in me ſi ineſt, tum odium recedet, inuidia, ira, furor, animi impetus, inſidiæ, ſimultas, iniuriarum memoria, ulciſcendi libido, cordi ſanguinis ſuffuſio, ſenſus oculorum iniquus, & omnis denique eiuſmodi malorum caterua amoris, caritatisque ui in nihilum plane occidit. Itaque actio illa, quæ in explenda diuina uoluntate uerſatur, duplicem idolorum cultum reiicit, tum inſaniam, ſcilicet falſæ idolorum ſuperſtitionis; tum auri argentiue cupiditatem, quæ prophetarum uocibus idola appellantur. Ergo fiat uoluntas tua, ut Diaboli uoluntas conſiliumque reſtinguatur. Sed quare hoc precamur, ut Dei ope optimum nobis ſit animi propoſitum? quoniam poſteaquam uitio debilitata eſt hominum natura, ad boni deligendi rationem ſatis imbecilla eſt. nam ut ad malum homo procliuis admodum eſt, non ita tamen facile rurſus ad boni redit rationem: id quod in cor-

 poribus

poribus etiam intelligi ac percipi poteſt. Qui enim integra corporis ualetudine utitur; ut nullo ſane negotio in morbum is incidit; non ſic tamen qui morbo affectus eſt, ualetudinem facile recuperat. quandoquidem ſi quis nuper optima erat ualetudine, ſæpe uel is minimo accepto uulnere in ultimum uitæ periculum uenit. ſepæque uel una febriculæ acceſſione, quæ ſtatis certisque diebus fit, omnis reſtincta eſt uis corporis: uenenoque uel exiguo deguſtato, aut aliquis plane enectus eſt, aut parum ab hoc ipſo diſcrimine abfuit. factumq; ſæpe eſt, ut ſerpentis morſum, aut aliquem uenenatæ beſtiæ ictum, aut prolapſionem, aut caſum, aut copioſiorem, ac natura capere poſſit, cibum, conſecuta ſit uel mors, uel grauis ægrotatio. at uero morbum depellere, id uel difficillime excogitatis adhibitisque medicinæ remediis fit, ſi modo etiam confieri poſſit. Quare cum ad uitium noſtra procliuis feratur appetitio, adiutor nullus nobis opus eſt, quoniam per ſe ſatis noſtræ uoluntatis inclinatione uitioſa perficitur actio. ſin autem ad id, quod fieri ſatius eſt, animi uoluntas propendet; hoc ipſo in genere operæ pretium eſt Deum inuocare, cuius ope auxilioque optimæ rei expleatur cupiditas. Quamobrem quoniam uoluntas tua, Domine, omnino mentis eſt ſanitas; ego uero cum carnis conſentiam ſenſibus, tum peccati ſim laqueis irretitus, id propterea uirtutis tuæ ope quæſo fac, ut optimæ huius uoluntatis munus ego recte exequar; hacque ratione iuſtitiam ac pietatem colam: a uitiisque me omnino auocem. nam uno uoluntatis nomine uniuerſæ reliquæ generatim continentur uirtutes, ſingulæque res, quæ ad bonum referuntur, appellatione diuinæ intelliguntur

uoluntatis. At quid ſibi uult horum uerborum additamentũ? Sicut in cælo & in terra. Fortaſſe Dominus aliquid ſentire uidetur his uerbis, quod grauius eſt; quædamq; forte diuinæ mẽtis præcepta tradit, quæ naturæ creatæ contemplanda reliquit. Ego uero quod ſentio, eiuſmodi eſt. Natura creata illa quidem, quæ ratione prædita eſt, partim corporis expers, partim corpore cõſtat. Angelorũ quidem natura non corporis eſt aſtricta uinculis; alterius uero naturæ nos homines ſumus. Natura igitur, quæ a corporis figura uacat; corporis ſcilicet illius, quod ſolidum eſt, quodq; ſuo pondere in terram mouetur; illa quidem animo ſolo comprehenditur; cum ue ſponte ſua, & leui facilique motu in ſublime feratur; in cæleſtibus uerſatur domiciliis. Altera uero (quoniam corpora noſtra terreni generis cognatione iunguntur) neceſſario eſt hanc ſortita uitam, quæ e terra, quaſi limi ſorde fæceque cõſtat. Hæc cum ita Dei conſilio conſtituta ſint; quo hæc eius uoluntas prouidentiaque ſpectet, haud equidem ſcio, an ad illud, ut omnem ſcilicet naturam creatam ſibi conciliaret; quo neque terrena hæc noſtra altitudinum cæleſtium; neque cæleſtis illa rerum terrenarum omnino expers eſſet: utque ex hac hominum fabrica utrumq; elemẽtum inter ſe ſocietatem earum rerum iniret, quæ in uno atque altero ineſſe intelliguntur: cum & animus rationis particeps, quiue cæleſtium illarum mentium cognatione iunctus uidetur, terreni huius corporis domicilio utatur; & caro hæc, quæ e terræ limo concreta eſt, in cæleſtem illam tum migret animi ſedem, cum omnium in integrum reſtitutio fiet. Nam, ut eſt apud Paulum, Rapiemur in nubibus obuiam Domino in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus. Quare ſiue

hoc quod diximus, siue aliud præter hoc prouisum sit sapientia Dei: omnis quidem natura, quæ ratione utitur, duplicem hunc uitæ cursum tenet; ut quæ corporis expers est natura, cælestem illam beatæ uitæ sit assecuta rationem: quæ uero carnis est astricta uinculis, hæc quoniam terreni huius generis cognatione tenetur, in terris plane uersetur. Sed utrique tamen naturæ æqualiter boni honestique insita est attributaue cupiditas: paremque utrique tum summam liberi arbitrii potestatem, tum ab omni necessitate solutam uoluntatē is dedit, qui uniuersi conditor est, ac moderator; ut libera quadam consilii deliberatione regatur & gubernetur id omne, quod ratione est menteque ornatum. Sed cælestis illa uita ab omni uitii labe pura est; neque in instituto uersatur earum rerum, quæ sibi repugnent; in hoc autem uitæ terrenæ genus motus omnis affectioque uitiosa undique iis rebus inuadit, quæ naturam maxime attingunt humanam. Iccirco cæleste illud sanctarum mentium uitæ institutum uitio carere, ab omnibusque peccatorum sordibus abhorrere diuinis est proditum litteris. quæ uero cūque res a bono semel separata, mali naturam suscepit; ea res omnis quasi fæx quædam & sentina in communem hanc confluxit uiuendi consuetudinem; ut homines illius sordibus inquinati diuinū ueritatis lumen, eiusmodi rerum sordidarum tenebris obscuratum, ipsi minus contueri possent. Quare si uita cælestis illa quidem ab affectionibus uitiisque uacua est, integraque plane & incorrupta: hæc uero misera uita si calamitatibus uariisque perturbationum quasi fluctibus obruta est, illud certe ex hoc perspici atque intelligi licet, benigna Dei uoluntate fieri; ut illius uitæ cæle-

stis,

ſtis; quæ integerrima eſt, actiones nos recte exequamur. Nam ubi malum non eſt, bonum utique ſit oportet. Noſtræ autem uitæ genus cum illorum bonorum ſemel uſum amiſit, a Dei etiam uoluntate tum plane defecit. Quamobrem hac precandi ratione ad illud erudimur; ut uitæ noſtræ uitiorũ ſordes ſic eluamus, ut in nobis ita propẽſa Dei uoluntas libere oſtendatur, qualis in cæleſtibus illis mentibus ſane apparet. Verbi cauſa ſi quis dixerit; quemadmodum in thronĩs, principatibus, poteſtatibus, dominationibus, in omnique cæleſti exercitu uolũtatis tuæ, Domine, actio apparet; quoniam malum nullum impedit, quo minus bene ab iis agatur; ita perfecta etiam in nobis ſit ratio boni, ut omni uitio ſublato, ea recte in mentem nobis ueniant, quæcunque tu a nobis fieri uis. At aliquis quaſi aduerſarius obiiciet: quo pacto fieri poteſt, ut qui e carne & ſanguine effecti huius uitæ uſura fruuntur, illam perfectæ uitæ integritatem præſtare poſſint, quæ in diuinis mentibus corpore carentibus elucet, cum præſertim infinitis curis, quæ ad neceſſarios uitæ uſus pertinent, mens hominum depreſſa iaceat? Iccirco quod ad propoſitam quæſtionem difficile uidebatur, id ipſum, utpote cum omnem plane dubitationem tollat, aperiri explicarique iis uerbis opinor, quæ ſequuntur. Nam quod panem Dominus quotidianum nos petere iubet, illud omnino nobis præſcribi cenſeo; ut tẽperantia, animique moderatio, recta adhibita ratione, cum illa natura adæquetur, cui nihil omnino deeſt. nõ enim precibus illud Angelus a Deo petit, ut ſibi cibus ſuppeditetur, quia naturam ille affecutus eſt eam, quæ rei eiuſmodi non indiget. Homo autem panem petere iubetur, quoniam quod exhau-

ſtum

ſtum eſt, illius rei eget, quæ omnino referciat. Nam humanæ uitæ ſtatus caducus eſt, recreeturque neceſſe eſt; cum pro eo quod conſumptum eſt, illud omnino expetat, cuius uis ſane reficiat. itaque qui ad naturæ uſum ſpectat, neque inanibus curis ad ea diſtrahitur, quæ minime neceſſaria ſunt; non multis quidem partibus hic Angelorum uitæ rationi inferior erit; cum copiam illorum, qui nulla amplius re indigent; parſimonia ſua aſſequatur. Quare cum ad Deum ita loquimur: panem da; iubemur id nos ſolum petere, quod ad corporis naturam tuendam ſatis eſt; non delicias, non opes, non conchyliatas ueſtes floribus intextas, non ornatum aliquem auro inſignem, non pretioſorum lapidum fulgores, non uaſa argento celata, nõ ampla prædia, non legionum imperium, non ciuitatum aut gentium principatum, non equorum boumque armenta, reliquiue pecoris magnam uim, non ſeruorum numerum, non forenſem ſplendorem, non columnas, non ſigna, non periſtromata, non muſicos cantus, nec quidquam denique aliud eiuſmodi; cuius ui a rerum diuinarum cura, quæ longe omnium princeps eſſe debet, abſtrahatur animus: ſed panem petere iubemur. Vide quam late pateat hæc philoſophãdi ratio, quamue multa præcepta hac uel exigua uoce comprehendantur? quaſi iis, qui ratione intelligẽtiaque præditi ſunt, aperte ita loquatur. Deſinite, Homines, rerũ inanium cupiditatibus diſtineri; deſinite laborum moleſtiarumque materiam, occaſionemque uobis ipſis augere. Exiguum ſane eſt, quod naturæ debetis; cibum ſcilicet debetis carunculæ ueſtræ: quæ res tum modica eſt, tũ facile cõparatur, ſi naturæ neceſſitas ſpectatur. Quid igitur eſt, cur grauiora, pluraq; multo uobis onera imponitis?

ponitis? Quam ob causam tot tantisque obligationum uinculis uos astrictos ostenditis? qui argentum effoditis? qui fodinas quæritis? qui fulgentis auri uestigia indagatis? ut iis scilicet inuentis uenter, qui est perpetua rerum hirudo, deliciis circumfluat? Huic tamen dumtaxat panis debetur, quo corporis expletur necessitas. At tu ad Indos proficisceris; barbarici te maris periculo committis; quotannis nauigas, ut rebus inde importatis condimenta cibis cōpares; neque consideras, suauem illum cibi gustatum non transire palati fines. Eodemque modo quod aspectu, quod odore, quod oris specie suaue est; hoc eam sensui præbet uoluptatem, quæ uel breuissima est, ac de repente interitura. Vltra autem palati fines indistincta est earum rerum, quas comedimus, differentia; cum eas omnes naturæ uis in fœtorem commutet. Vides obsoniorū condimenta quo spectent, uides qui sit finis illis propositus, quorum animus est in patinis. Tu panem pete propter usus uitæ necessarios. hic enim corporis necessitati lege naturæ debetur. cetera uero, quæ præter hunc delicatorum hominum uoluptatibus inuenta sunt, ea ad zizaniorum semen pertinent. patrisfamilias semen frumentum est, ex frumento panis conficitur. zizania autem deliciæ sunt: zizaniorum semina iuxta frumentum inimicus sparsit. At uero homines cum rerum necessariarum munus ipsi naturæ præstare omnino negligant, hi re uera, ut quodam loco euangelii litteris proditum est, suffocantur inanium rerum libidinibus, nullumq; fructum utique pariunt, cum in illis ipsis perpetuo eorum sit occupatus animus. Fortasse aliquid etiam eiusmodi Moses, quibusdam uerborum inuolucris, de ea uoluptate, quæ gustatu capitur,

tur, dicere uidetur, cum Euæ consiliarium atque administrum serpētem fuisse scribat. Nam hanc bestiam, nempe serpentem, eiusmodi esse ferūt, ut si in hiatum, quo irrepit, caput coniecerit; a posteriori parte is non facile ab iis retrahatur, qui hoc ipsum conantur, quoniam contraria squamarum uis, illorum conatui resistit, qui in contrariam partem eum extrahere nituntur. Qui igitur ab anteriori parte squamis leuiter facileq; labentibus, nullo negotio explicatur, hic a posteriori parte difficilis est, qui retrahatur, utpote cum aduersa squamarum uis repugnet. Huius rei narratio, illud opinor, demonstrat uoluptatem fugiendam esse, quæ ingreditur sensimq; irrepit in cōsentientem rationi animum, uitæq; rimas, quam maxime fieri potest, oppilari oportere. ita enim humanæ uitæ ratio a bestiarum consuetudine purā integramq; se conseruabit. sin autem aliquem in nos aditum uiamq; inueniet, tū dissoluta ea uitæ nostræ consuetudine, quæ rationis consensu uincta tenetur, ille uoluptatis serpens in uitæ commissuris latitabit, uixq; squamis repugnantibus, e mentis latebris extrahetur. squamas porro cum audis, occulta quadam significatione tu interpretare multiplicem uoluptatum materiam atque occasionem. nā communi nomine una bestia est uoluptatis affectus: sed diuersa sunt, uariaq; uoluptatum genera, quæ uitæ humanæ sensibus inhærent: quoniam serpentis squamæ hæ uoluptates sunt, quæ uariis affectibus quasi maculis distinctæ sunt. Itaque si bestiæ huius contubernium fugis, tu caue caput, hoc est primum uitii maliq; impetum: ad hoc enim illius, quod a Domino præceptū est, significatio refertur. Ipse enim, inquit, obseruabit calcaneum tuum, tu obserua caput eius. Ne patefacias

igitur

igitur ſerpenti aditum, ut in interiores partes irrepat, uolubiliq; illo corporis ſui motu incitatus intro feratur. Permane in uſu uitæ neceſſario, uiuendi cura ea tibi propoſita ſit, ut rebus quibusuis uſus uitæ tuæ neceſſarius expleatur. ſin autem tecum quoque Euæ conſiliarius de eo diſſerit, quod uel aſpectu iucundum, uel guſtatu ſuaue eſt, tuq; præter panem obſonium eiuſmodi, quod his ſit condimentis inſtructum, quæris, iisq; rebus, quæ neceſſitatis finibus non cōcluduntur, te ad appetendum incitas; tum poſtea plane ſenties, ſerpentem hunc eo ſenſim irrepere, ut plus ipſe appetas. Cum a cibis enim ad uitæ uſum pertinentibus ſemel ſeſe ad edacitatem contulerit, ad id quoque quod aſpectu iucundum, paulatim manat. nempe cum tu uaſa magnifica quæras, delicata mancipia, lectos argenteos, ſtragula mollia, ſplendida, auroq; intexta integumenta, ſolia excelſa, tripodas, balnea, crateras, rhyta, uaſa ad refrigerandi uſum comparata, poculorum miniſtros, candelabra, acerras, atque alia eiuſmodi requiras, e quibus illa plus habēdi cupiditas ingeneratur. nam ut eiuſmodi rebus comparādis neque quidquā deſit, iis quidem uectigalibus opus eſt, quibus ea parētur, quæ nos plane expetimus. Quare hunc atque illum flere, eumq; contubernalem deplorare, multorumq; miſericordia commoueri oportet, qui ſua amittunt, ut illis lacrymis magnificus hic menſæ apparatus ſplendeſcat. Cum autem ſerpens his etiā ſeſe implicauerit, uentremq; iis rebus expleuerit, quæ appetitui conſentiunt: ſatietate iam ipſe affectus ad libidinis rabiem quandam ſerpendo delabitur. Hoc uero eſt poſtremum malorum omnium, quæ hominibus accidunt. Itaq; ut ne eiuſmodi res aliqua eueniat, precan-

di rationem tibi præſcribit facultate panis; quippe cū obſonium illud tibi proponat, quod natura ipſa ad uſum tuum comparatum eſt: aliquid autem eiuſmodi eſt recta mentis conſcientia, cuius optimarum cogitationum habitus eſt quaſi panis condimentum. ſin autem gulæ etiam ſenſum delectare uis, condimento tibi ſit fames ac ſitis; ne ſatietatem ſatietati addas, ne ue crapula appetitus uim remittas; ſed ante quam cibum capias, fac in Dei mandatis aliquem ſudorem laboremq; ponas: In ſudore, inquit, & labore ueſceris pane tuo. Vides quæ prima ſit Domini condicio. ſat eſt enim tibi, ut uſque ad eum uſum tu mente occuperis: quin etiam ne ad illum quidem uſque panis quærendi curis animum tuum aſtringas: ſed ad eum, qui e terra panem gignit, qui ceruos paſcit, qui omnibus animantibus alimēta præbet, qui manum operit, omneq; animal benedictione replet; ad hunc ipſum, inquam, tu hac oratione utere. A te mihi uita eſt, quæſo a te etiam mihi uitæ ſubſidium contingat; tu da panem, hoc eſt, ut honeſtis ego laboribus cibum mihi comparem. Nam ſi Deus iuſtitia eſt, non panem ab illo is conſequitur, qui auaritiæ ſtudio alimenta ſibi parat. Tu aſſequeris, quod maxime optas, ſi ex alienis rebus non opes; ſi ex aliorum lamentationibus non uectigalia comparabis; ſi ſatietate tua nemo eſurit; ſi tuis rerum copiis nemo ingemiſcit. Dei panis eiuſmodi eſt, ut iuſtitia fructus ſit, pacis ſpica non ullis permixta aut inquinata zizanii ſeminibus. ſin autem aliena prædia colis, ob oculosq; iniquitatem tibi ponis, tabulisq; ſtipulationum confectis, quod iniuria tibi paraſti, id firmum ratúmq; ſit. ſi Deum alloqueris, ut panem tibi det, non Deus quidem, ſed alius eſt certe, qui uocem

tuam

tuam exaudit. nam quæ contraria eſt Deo, natura iniquitatis fructum parit. Qui iuſtitiam colit, hic a Deo panem accipit: qui uero iniquitati ſtudet, is alitur ab eo, qui omnis eſt iniquitatis auctor. Itaque qui conſcientiæ ſuæ rationem habet, a Deo hic panem precatur; quoniam illud intelligit, nihil cum Beliale Chriſtum habere commune. Si igitur ex rebus male partis munus aliquod defers, canis eſt remuneratio: donũq; eiuſmodi, qualis eſt meretricis merces. ſiq; præ ambitionis ſtudio uel magnificẽtiſſima dona tribueris, prophetam ipſe audies, qui rerum eiuſmodi munera his uerbis deteſtatur, Quo mihi multitudinẽ uictimarum ueſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum: holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem uitulorum & agnorum & hircorum nolui. Incenſum, inquit, mihi abominatio eſt. Alio loco qui uitulum immolat, eum perinde habet, atque illum, qui canem mactat. Quare ſi a Deo panem habes, hoc eſt ex iuſtis laboribus; tu potes ei quoq; primos iuſtitiæ fructus deferre. Atque recte quidem addita eſt dictio hodie; Panem enim, inquit, ſubſtantialem da nobis hodie. ad aliud philoſophiæ genus ſpectat hæc oratio, ut ex iis ſcilicet, quæ dicis, ipſe cognoſcas ad diem unum hominis uitam permanere. quod adeſt, quodq; præſens eſt, id ſolum cuiusque eſt propriũ, ſpes uero rei futuræ incerta eſt; nos enim ignoramus, quid poſterus afferat dies. Quid eſt, cur de rebus incertis ſolliciti ſumus? cur rerum futurarum curis angimur? Sat eſt, ait, diei malitia ſua. Malitiam appellat moleſtiarum laborem. Quid eſt, cur poſteri diei moleſtiis afficimur? eamq; ob cauſam, cum hodie dicat, quæ cras futura ſunt, ea nos curare prohibet; quaſi hac una dictione te ita allo-

quatur, qui diei tempus tibi dat, is etiam ea tribuet, quæ postero die sunt necessaria. Quis in causa est, ut sol exoriatur? quis noctis tenebras in lucem reuocat? quis ad usum tuum luminis splendorem effundit? quis cælum ambit, ut in terris lux appareat? Qui hæc tibi, tamque multa tribuit, is ne auxilii tui indiget, ut ad uitæ tuæ usum id largiatur, quod illius necessitas postulat: quid in uita sua studii bestiarum natura ponit? quæ coruorum prædia? quæ aquilarum horrea? An non diuina uoluntate, quæ cuncta complectitur, uictus omnibus tribuitur? Atq; bos quidem, aut asinus, aut aliud aliquod animal, quod ratione caret, sua natura cum aliquam sui cognitionem habeat, ad id, quod præsens est, se accommodat, nihilq; omnino ea curans, quæ deinceps futura sunt: At nos aliorum cõsilio indigemus, ut uitam hanc, quæ e carne concreta est, cognoscamus interituram, ad unumq; diem esse permansuram. An non alienis casibus admonemur? an non nostræ uitæ exemplis emendamur? quam utilitatem maxime diuitiarum copiæ illi diuiti homini attulerunt, qui insana quadam spe cum teneatur, ædificat, demolitur, colligit, ac uoluptatibus perfruitur? qui præ uana quadam fiducia longos annorum circuitus horreis concludit? an nõ una nox spem illam omnem inanem sustulit, tanquam illa fuerit falsa quædam rei inanis species in somniis oblata? Vita hæc, quæ his corporis est astricta sensibus, instantis solum est temporis particeps. quæ uero in spe nobis proposita est, illa est animi propria. sed in utriusque uitæ usu hominum mens peccat, cum eam quidem, quæ corporis uita est, spe longius producat; illam uero, quæ ad animũ pertinet, ad rerum præsentium traducat uoluptatem.

Quamobrem a ſpe, quæ certa eſt ac firmiſſima, neceſſario ſeſe auertit animus ob eam ſpem, quæ in aliqua rerum ſpecie oſtenditur. nam cum earum rerum, quæ nullam conſiſtendi uim habent, ſpe nitatur; neq; hoc, neque illud aſſequitur. Itaque hoc nos præcepto doceamur, tum quid hodie, tum quid in poſterum petendum eſt. panis, qui ad quotidianum uſum pertinet, eius, quæ ſperatur, beatæ uitæ regnum eſt. cum autem panem dicat, omnia quidem comprehendit, quæ corporis neceſſitati debentur. Quare ſi hæc petimus, illud ſupplicis hominis menti perſpicuum fit, in rebus caducis, ad diemq; permanētibus ſe uerſari. Sin autem ea, quæ ad animi bona pertinent, poſtulamus, hæc petitio ad illa ſpectat, quæ perpetua ſunt ac ſempiterna, ad quas quidem res dominus eum contueri iubet, qui precatur, ut una cum iis, quæ maiora ſunt, rerum minorū uſus nobis recte cōtingat. Petite enim, inquit, regnum & iuſtitiam: & hæc omnia adiicientur uobis auctore Ieſu Chriſto Domino noſtro, cui gloria in perpetuum. Amen.

CONCIO V.

AD ſummam ipſam uirtutem progreſſa iam eſt oratio, cum precum atque obſecrationis ipſius uerbis oſtendat, qualem eum eſſe uelit, qui ſupplex ad Deum confugit. Non amplius fere is naturæ humanæ finibus contineri uidetur, ſed Dei ſimilis ob uirtutem ita factus eſt, ut alius hic in eo eſſe uideatur, quoniam eadem agit, quæ agere Dei ſolius eſt. Nam propria Dei ac præcipua res eſt peccatorum remiſſio; quandoquidem demonſtratum eſt, crimina peccata ue Deum ſolum condonare poſſe,

præterea

Vt sitis filij P. Vri. Matt 5. 5.

præterea neminem. Quare si in suo aliquis uitæ instituto sibi diuinæ naturæ ad imitandum exempla proponet, hic certo quodam genere ille efficitur, cuius similitudinem diligenti quadam imitatione expressit. Itaque quid nos petere docet Dominus? primum ut cum ab iis rebus, quæ in hac uita aguntur, ad Dei similitudinem prope accesserimus, ueniam nobis peccatorum postulemus, tumq; Deum patrem nostrum appellare ne dubitemus; illudq; petamus, ut quæ aliquando admisimus, peccata obliuione obruantur perpetua; quasi qui petit, is minime assequi possit, quæ expetit; sed libera petitionis facultas sibi cōceditur. Etenim hæc nobiscum Dominus his uerbis plane disserit. Qui ad illum accedit, qui de aliis optime meritus est, is etiam studeat de aliis bene mereri; qui ad eum, qui bonus est, sit etiam ipse bonus; qui ad iustum, iustus; qui ad lenem, lenis; qui ad illum qui clemens est, sit etiam ipse clemens, & humanus: eodemq; modo in ceteris omnibus, ut qui ad eum accedit, qui optimus est & æquissimus, qui ue bona sua communicat, omniumq; miseretur. hæc atque alia id genus, quæ in Deo considerantur, cum aliquis mente lustrauerit, hoc pacto liberam sibi precandi uiam patefacit. Itaque ut malus aliquis cum eo, qui bonus est, familiaritate coniungi nullo modo potest; neque is, qui impuris cogitationum sordibus obsolescit, societatem inire cum illo potest, qui ab omni labe purus est, atque plane integer: ita precantis hominis crudelitas eiusmodi est, ut Dei a se clementiam seiungat. Ergo si quis acerbitate in eū utitur, qui nexu aliquo sibi est obligatus, hoc pacto Dei clementiam hic a se alienat. Quæ enim humanitatis cum crudelitate societas? quæ benignitatis cum

acerbitate

acerbitate coniunctio? ac reliqua, quæcunque ex contrario malis rebus opposita intelliguntur, hæc inter se ita repugnant, ut cohærere nullo pacto queant: sique harum rerum uni aliquis adhæserit, a re contraria utiq; disiungatur necesse est. Nam ut ille, qui mortem obiit, in uiuis esse non potest; quiue uita fruitur, est ab interitu alienus; sic qui ad Dei benignitatem cōfugit, ab omni crudelitatis genere eum plane uacuum esse oportet. Qui uero ab omnibus iis rebus, quæ uitii nomine intelliguntur, totum omnino sese auertit; is hoc habitu comparato Deus quodammodo efficitur; cum eas in se perfecti officii partes expleat, quas in Dei natura mens ipsa contemplatur. Vides ad quem altitudinis gradum precum oratione adhibita Dominus eos prouehat qui sibi audientes sint; cum scilicet eorum hominum naturam in eam plane mutet, quæ diuina est: Deosque illos fieri statuat, qui ad Deum ipsum accedunt. Quid est, inquit, cur, ut uulgus seruorum solet, metu perculsus, & cōscientiæ tuæ stimulis uexatus Deo supplicas? cur in te liberam illam orationis uim contines, quæ animi tui libertati inest, quæue naturæ ab initio attributa est? cur uerbis adularis ei, qui assentationibus se decipi non sinit? cur adulationibus & blanditiis plenam orationē ad eum habes, qui opera factaque intuetur? integrum est tibi ac liberum, quodcunque a Deo commodum est, id omne animo ingenuo accipere. Tu sis de te ipso iudex, teque salutari sententia absolue. Cupis a Deo delicta tibi condonari; tu ceteris condona. Deusq; iam sententiam tulit. quod enim cunque iudicium, quod ad te pertineat, de proximo feceris; ea de te feretur sententia. quæ uero in te statuis, eadem Dei iudicio rata tibi ac firma fient. At qua ratione

tione continget, ut pro dignitate ſatis diuinæ uocis explicaretur magnitudo; cum id, quod mente comprehenditur, eiuſmodi ſit, ut oratione exprimi nullo plane modo poſſit. Dimitte nobis debita noſtra, quemadmodum & nos dimittimus debitoribus noſtris. Nam quod hoc ipſo de genere mihi in mentē uenit; nullius prudentiæ eſt id ipſum mente contemplari; imprudentius autē multo eſt, huiuſmodi mentis ſenſum oratione exponere. Quid enim illud, quod dicitur; ut recte agētibus Deus ad imitationē propitius eſt (id quod Paulus his uerbis indicat; Imitatores mei eſtote, quēadmodum ego Chriſti) ſic contra uult uoluntatis tuæ propoſitum Deo ad bonum exēplo eſſe: ordinisq; ratio quodam modo reciprocatur; quaſi nos dicere audeamus: quemadmodum boni imitatione propoſita bonum aſſecuti ſumus: ita ſperemus fore, ut Deus facta noſtra imitetur, cum aliquid, quod bonum ſit, nos perfecerimus; quaſi tu quoque Deum ita alloquaris: Quod ego feci, tu quoque effice: imitareque ſeruū tuum tu, qui Dominus es: tuque qui poteſtate tua omnia tenes imitare pauperem atque egenum: Ego remiſi debita, ne tu quidem exigas. Supplicē ego nō repuli, ne tu quidem ſupplicantem reiicias: meum debitorem a me hilarem dimiſi, talis etiam tuus exiſtat; ne ſcilicet efficias, ut debitor tuus triſtior ſit, quam meus: pares ambo gratias creditoribus agant: æqualis ab utroque remiſſio decernatur debitoribus & meo & tuo. [meus debitor ille eſt, ego tuus: qua ego in illum uoluntate fui; eandem etiam tu mihi præſta: ego ſolui, tu ſolue: remiſi, remitte: ego proximo contribulique meo miſericordem admodum me oſtendi: tu qui natura clemens es, eandem imitare clementiam. Sed illud ego fateor,

quæ

quæ in te peccaui, grauiora illa quidē esse, quam quæ contra me ille admisit: hocq; tecū reputa, quanto ipse omni uirtutum genere præstas, tanto æquius est, peccantibus eam a te tribui ueniam, quæ præstantissimæ uirtuti tuæ maxime conueniat. Ego humanitatem meam exiguam illam quidem ostendi; quoniam non sane amplius a me naturæ ratio postulabat. tu uero nō impediris, quo minus uel benignitatis, uel amplæ liberalitatis tantum quidem præstare possis, quantum certe uis. Sed nos diligentius accuratiusque consideremus illam, quæ a nobis proposita est, precandi rationem, ut ex sententiarum indagatione aditus nobis aliquis fiat ad cælestis uitæ disciplinā. Itaque inuestigemus primum, quæ debita ea sint, quæ hominum genus præstare debeat: queue contra illa, quæ in potestate nostra sita sunt, ut ea scilicet condonemus. Nam his diligenter indagatis, diuinorum bonorum, quæ maxime præstant, aliqua dabitur nobis cognitio. Quare nos inde initium faciamus, ut ea primum commemoremus, quæ a mortalibus sunt contra Deum commissa. Pœna igitur prima, quæ Deo ab homine debetur, est; quoniam cum naturalem Dominum fugerit atque deseruerit, ad aduersarium ab eo desciuit, qui suus Dominus est ac fabricator. Deinde quia liberam sui potestatem, uoluntatemque cum scelerata peccati seruitute commutauit, a Deique cultu refugit, ut perniciosa tyrannicaq; potestate teneretur: immo uero quoniā conditoris sui pulchritudinem neglexit, ad peccandūque conuersus, faciē peccati sordibus deturpauit; huicque sceleri illud proximum iudicatum est, tum quod diuina bona contempsit, tum quod scelerati aduersarii escam anteposuit; in quo uitii genere id numerabitur,

quod & Dei imaginem obſcurauit, & diuinum illud ſignum corrupit, quod uel in ipſa hominis origine eſt nobis impreſſum? quod & drachmam amiſit, & a patris menſa receſſit, & more porcorum ad lutulentũ uitæ genus acceſſit, & pecuniis expetendis ſe corrumpendum dedit: atque alia quæcunquæ id genus peccata, quæ uel e ſacris litteris, uel contemplationibus cognoſcere licet; hæc omnia quæ orationis uis explicaret? Itaque quoniam hominum genus tot tantisque ſceleribus ſeſe obſtrinxit, quorum ſcelerum pœnas Deo luere debet; iccirco his precum orationisque præceptis Dominum nos ad id erudire arbitror, ut in Dei colloquio nos quaſi integra caſtaque mente ſimus, nullam omnino orationis libertatem adhibeamus; etiam ſi quis ab hominum uitiis ſit uel maxime alienus. Nam fortaſſe aliquis, qui, ut adoleſcens ille diues, uitæ ſuæ uſum optimis præceptis conformauit, aliquid eiuſmodi habet, ut ſuæ uitæ diſciplina gloriari poſsit; Deum ita alloquitur: Hæc omnia ab adoleſcentia mea ſeruaui. & quoniam hic ſibi perſuaſit, nullum plane Dei præceptum uiolaſſe, non admodum ſibi conuenire putat, ut debitorum remiſſionẽ deprecetur; quaſi hoc ab iis dumtaxat fieri oporteat, qui peccatis aſtricti ſunt; huiusmodique deprecandi rationem ei conuenire affirmat, qui ſceleris labe obſoleſcit; uel qui nimio auaritiæ ſtudio tenetur, hunc ait ueniam deprecari oportere; uel iis denique, qui alicuius uitii ſordibus puram mentis inquinarunt conſcientiam, omnibus his putat belle commodeque euenire, ut ad miſericordiam confugiant. Sin autẽ Elias ille preclarus eſt, aut is, qui ſpiritu uirtuteque Eliæ in natis mulierum magnus; aut Petrus, aut Paulus, aut aliquis denique ex iis, de quibus opti-

me

me teſtantur ſacræ litteræ; cur is, qui nullis peccatorum laqueis irretitur, eiuſmodi utitur uoce, qua petit ſe a debitorum nexu eximi? ſed ne quiſpiam, qui hæc non animaduertit, inſolenter loquatur, ſicut phariſæus ille, qui ne ſuam quidem naturam agnoſcebat: quandoquidem, ſi conſideraſſet, ſe hominem eſſe; illud certe e diuinis litteris cognouiſſet, hominis ſcilicet naturam a peccati ſordibus minime puram eſſe: cum in illis ſcriptum ſit; qui ſine peccati labe uel unum diem uitam ducat, in hominibus inueniri poſſe neminem. Quare qui ſupplex ad Deum confugit, non eo ſane animo hic eſſe debet, ut bene facta ſua conſideret, ſed communia naturæ humanæ malefacta reminiſcatur; quorum ipſe aliquam etiam partem tenet, cum illius quoque naturæ ſit particeps; ideoque hic Deum iudicem roget, ut illorum delictorum obliuiſcatur, ueniamque tribuat; quaſi in nobis hæc naturæ humanæ uis tamdiu uigeat, quoad ſinguli nos omnes homines noſtram cernimus naturam, quæ pelliceo hoc amictu, caducisque huius uitæ foliis induta ſit; quorum tegumenta, ſplendidis noſtris indumentis abiectis, male nos ea induimus; quippe cum pro diuino illo amictu nos deliciis, gloria, honoribus uel ad unum diem manentibus, fluxisque huius uitæ rerum copis, quaſi quibuſdam ſimus indumentis amicti: ac dum etiam hanc pernicioſam ſpectamus regionem, cuius incolendi pœna damnati ſumus: Cum ad orientem nos conuertimus; non quod eo loci dumtaxat Deum contemplemur; quoniã qui ubiq; eſt, quiue res uniuerſas æque complectitur, is in nullis partibus ſeparatim præcipueque comprehenditur: ſed quia noſtra patria in oriente eſt, eam dico, cuius ſedes in paradiſo eſt, e quaue nos eiecti ſumus: plantauit

enim Deus paradiſum in Eden ad orientem. Itaque cum nos ad orientem contuemur, memoriaque repetimus quemadmodum ex illuſtri beatæ uitæ domicilio expulſi ſumus; iure ac merito eiuſmodi orationis uerba proferimus nos, qui tanquam ficulneis huius uitæ umbris obtegimur; qui a conſpectu Dei depulſi, ad ſerpentem transfugimus, ad eum ſcilicet, qui terra ueſcitur, qui humi ſerpit, qui pedibus, uentreque graditur; ac nobis ſuadet, ut eadem faciamus, nempe ut rebus terrenis oblectemur, ut ad humiles, abiectasque cogitationes animum noſtrum adiiciamus, ut uentre gradiamur, hoc eſt, ut huius uitæ uoluptates conſectemur. Itaque cum in iis uerſemur, faciamus nos, ut prodigus ille, qui poſt diuturnam calamitatem, quam porcis paſcendis ſuſtinuit, ad ſe rediit: ita cum ad nos ipſi redimus, de patreq; cæleſti mente cogitamus, his orationis uerbis recte utimur; Dimitte nobis debita noſtra; ut ſi Moſes etiã quiſpiam ſit, uel Samuel, uel alius aliquis qui uirtute excellat; tamẽ quatenus homo eſt, ille arbitretur hanc precandi rationem ſibi conuenire; quoniam cum Adamo qui naturam communicat, is una item cũ illo eiectus atque expulſus eſt. Cum enim (inquit apoſtolus) in Adamo omnes moriamur, eum precandi modum, qui ob pænitentiam Adamo conueniens eſt, adhibere omnes debent, qui una cum eo deceſſere: ut delictorum uenia nobis data, rurſum, inquit Apoſtolus, per gratiam nos a Domino ſeruemur. Sed hæc ita dicta ſint, ut qui communiorem orandi modum animaduertit, id contempletur, quod ſibi propoſitum eſt. Sin autem aliquis ueram orationis ſententiam inueſtigat, non ad communem quidem naturam mentem adiungere eum oportere arbitror. nam

quæ

quæ in uita quiſque admiſit, ut horum peccatorum ne ceſſario ueniam a Deo imploret, conſcientia ſatis eſt. etenim cum in hoc uitæ curriculo uaria illa quidem ac multiplex ſit noſtræ uitæ actio, tum ea, quæ in mente uerſatur; tum illa quæ corporis eſt conſentanea ſenſibus; difficile equidem, uel potius omnium difficillimum factu eſſe arbitror, ut ad peccandum non aliquo quis affectu impellatur. Verbi cauſa cum uita hæc uoluptaria, quæ e corpore conſtat, ſenſibus noſtris diuerſe trahatur, cumque altera, quæ animi eſt, & in mentis impetu, & in cõſilii agitatione uerſetur; quotusquiſq; eſt, qui magna, atque adeo excelſa mente præditus, in utroque uitæ genere nullis uitii ſordibus obſoleſcat? quis oculorum ſenſu non peccat? quis quod ad auditum attinet, innocens eſt? quis ab ea, quæ propria pecudũ eſt, uentris uoluptate abhorret? quis tactu ita purus eſt, ut a peccati culpa omnino uacet? quis occultas ſacrarum litterarum ſignificationes non intelligit, quibus demonſtratur per feneſtras ingreſſam eſſe mortem? Senſus enim, quorum ope cum ad res externas animus progrediatur; ea quæ ſibi grata ſunt, arripit; hos ſacræ litteræ feneſtras appellant; quibus quidem feneſtris aditum uiamq; morti patefieri Dominus oſtendit. re enim uera ad multiplex mortis genus aditum ſæpe facit oculus; qui ſi aut iratum hominem cernit, in eãdem is perturbationẽ incitatur; aut eum uidet, qui ſecundiore, quam par eſt, rerum ſucceſſu utitur, inuidia ardet; aut aliquem intuetur ſuperbia elatum, odio item afficitur; aut aliquam optimi coloris ſpeciem, aut conuenientem oris formam aſpicit, totus etiam ad id, quod ſibi placuerit, cõcupiſcendum ſeſe effundit. Morti feneſtras aperiunt aures, quarum ſenſus multas in ani-

animum affectiones transmittit, inuidiam, dolorem, iram, uoluptatẽ, appetitionem, cachinnos, atque alia id genus. Quæ uero e gustatu capitur uoluptas, ea omnium malorum quædam mater est. quis enim non intelligit uentris gulæque studium esse prope omnium, quæcunque in uita admittũtur, peccatorum radicem? quandoquidem ab hoc ipso studio deliciæ, ebrietas, uentris gulæque uitium, profusus uitæ modus, expleta saturataque epulis appetitio, comessationes, ferini atque absurdi ad turpissima uitia manant impetus. Tangendi item sensus omnium est peccatorum extremum. quæ enim cunque ad corporis uoluntatem delicati uoluptariiq; expetunt homines, omnia morbi sunt eiusmodi, qui tactu con trahuntur; quos quidem sigillatim commemorare tum longum sane est; tum minime decorum grauioribus sermonibus ea permiscere, quæ ab hoc tangendi sensu crimina existunt. Quæ autem animo menteque peccata concipiuntur, illa quidem cũ innumerabilia sint, quæ orationis copia explicaret? ex intimis enim animi partibus, inquit Salomõ, improbæ emanant cogitationes; illasque commemorauit, quarum sordibus nos inquinamur. Quare si undique & ab omnibus sensibus & intimis animi motibus sunt nobis obiecta peccatorum retia; quis, ut in Sapientiæ libro scriptum est, gloriabitur se purum habere cor? quotusquisque est, qui sit a sordibus alienus? id quod etiam Iob testatum reliquit. integri purique animi sordes sunt in uoluptate: quæ cum in corpore, animo, cogitationibus, sensibus, cõsilii deliberationibus, corporisq; actionibus uersetur; multis uariisq; modis illa in hominum uita implicata insidet. ergo quis ab harum sordium labe puro integroq; est animo? quis non

animi

animi elatione percuſſus, ſuperbiæ quaſi pede premitur? quem peccatrix manus non concuſſit? cuius pes ad nequitiam non cucurrit? quem immoderatus oculorum ſenſus non inquinauit? & aurium ſtoliditas non fœdauit? quiſue guſtatus uoluptate irretitus non eſt? cuiuſue animus inanium eſt agitationum expers? Itaque quoniam hæc in nobis peiora ſunt atque atrociora, quã illa, quæ belluarum magis attingunt naturam; omnis plane peccatorum ſocietas eſt cum iis omnibus, qui eiuſdem ſunt naturæ participes: iccirco cum ad Deum ſupplices accedimus, debita nobis condonari rogamus. Sed uox eiuſmodi irrita eſt, atque inanis, nec ad Dei aures peruenit; niſi illud nobiſcum conſcientia clamitet, rectum eſſe in alios miſericordia uti. nam qui Deo benignitatem miſericordiamque conuenire arbitratur, niſi ita putaret, non illud quidem ab eo rogaret, ut rem ille ſuſciperet, quæ minime deceret, minuſque conueniret. æquum enim eſt, ſe factis illam præſtare, quã de honeſto præ ſe fert opinionem; ut a uero iudice nequid audiat eiuſmodi; Medice cura teipſum: me ad benignitatem uocas, quam ipſe tuis minus tribuis; debita tibi remitti poſtulas; quid eſt, cur ære tibi obſtrictos eneces? ſyngrapham, quam feciſti, eam coſcindi uel deleri tu precaris, qui es maxime in eo diligẽs, ut qui tibi nexu aliquo obligati ſunt, eorum tabulas ſtipulationum ſerues: quæ debes, tibi con donari petis, cum ipſe mutuũ impendio augeas. Qui tibi debet, in uinculis eſt, tu autem in templo; ille ære alieno grauiſſime premitur, tu debita tibi remitti flagitas: petitionis tuæ uox non exauditur, quoniã illius qui dolet, atque angitur, clamor lõge ſuperat: ſi quod ad corporis uſum attinet, debitum condonabis, ab iis

qui-

quidem ſolutus eris uinculis, quibus anima aſtricta tenetur: ſi ueniam tribues, tibi etiam tribuetur: tibi ipſe iudex eris, de te ipſe ſtatues: quoniam qua uolun tate te erga eum oſtendis, qui tibi ſupplex eſt atq; obnoxius: eadem a Deo de te ſententia feretur. Alio ſermone aliquid eiuſmodi Dominus nos docere uidetur, cum hoc ipſum præceptum narrationis more in uulgus proponat. nam in ea narratione rex quidem introducitur, qui terribili aſpectu in tribunali ſedet, ſeruosq; in iudicium uocat, & quæſtionem de omnibus iis rebus inſtituit, quas eorum quiſque diſpenſaſſet. Debitor uero quidã in ius uocatus, cum ad pedes accidiſſet, loco pecuniarũ ſupplices libellos obtulit, ueniãq; benigne impetrauit: hic poſtea aduerſus cõſeruum ſuum ob exiguum debitum illiberalem ſe atque inhumanum oſtendit. hæc ſane acerbitas, qua iſte aduerſus cõſeruũ uſus eſt, fecit ut admodum ſibi rex iraſceretur, qui tortoribus iuſſit, ut ab edibus regiis illum expellerẽt, & eo uſque ſupplicium ab illo ſumerent, quoad meritas per ſoluiſſet pœnas. Nam re uera oboli quidam ſi cum infinitis comparantur talentis, facile illi quidem numerantur; debita hæc ſunt, quæ nobis fratres retribuere debent; quæ minina ſunt, ſi cum illis conferuntur delictis, quæ aduerſus Deum nos admiſimus. Damnoſa prorſus eſt uel quæ ab aliquo datur iniuriæ occaſio, uel ſerui nequitia, uel quæ parantur corpori inſidiæ; tu poſtea ad hæc ulciſcẽda animo accenderis, omnemq; in eo cogitationem adhibes, ut pœnam ab iis repetas, a quibus iniuriam acceperis. neque ſi animus tuus ira in ſeruum incenſus eſt; ipſe cogitas homines non natura, ſed ui partim ſeruos, partim Dominos factos eſſe. quoniam homini ſeruire naturam, quæ ratione caret;

hoc ſtatuit is, qui uniuerſa moderatur. nam, ut apud prophetam eſt; Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues, & uniuerſa pecora campi, uolucres cæli & piſces maris. Hæc omnia poteſtati ſubiecta eſſe alio loco oſtendit his uerbis propheta; Danti pecoribus alimentum ipſorum, & herbam ſeruituti hominum. Sed Deus hoc hominem munere ornauit, ut liberæ eſſet uoluntatis, ſuique iuris. Quare qui aut iure, aut conſuetudine tibi ſubiectus eſt, is (quod ad naturæ attinet dignitatem) pari tecum eſt condicione; neque ille a te factus eſt, neque te auctore uiuit; neque quod & animi, & corporis munera exequitur; hoc ipſum abs te habet. Quid igitur eſt, cur tam uehementer ira ipſe ardeas? ſi is aut paulo negligentior fuerit, aut a labore ceſſauerit, aut fortaſſe palam liberam in te contumaciam adhibuerit, te ipſum intuearis oportet, qualis erga Dominum fueris, qui te procreauit, atque in lucem edidit; qui omnium rerum mirabilium, quæ in hac uniuerſitate fiunt, participem te effecit; qui ſolem ad hominum uſum propoſuit; qui ex his quattuor rerum principiis, terra, igne, aere & aqua, cuncta ad uitæ uſum ſubſidia tribuit; qui mentis uim & cognitionem dedit, ut boni malique delectum haberes. Quo ſane pacto fit, ut huic Domino minime pareas? ut hunc lædas? an non ab huius imperio deſciuiſti? an non ad peccatum confugiſti? an non Domini omnino deſeruiſti domicilium, quod ut coleres atque cuſtodires, cum tibi præceptum eſſet, ab eo tamen aufugiſti? an non Deo teſte, qui ubique eſt, cunctaque cernit; hæc, quæ enumerata ſunt, peccata admittis? eaque dicis & cogitas, quæ dicere & facere minus decet? ſi talis ipſe es, tam multiſque nominibus

obſtrictus, te magnũ aliquid conſeruo condonare arbitraris: ſi quod ille in te peccauit, æquo lenique te animo ferre demonſtras. Quare ſi ad Deum nos ſupplices acceſſuri ſumus, ut miſericordiam ab eo, ueniamque imploremus; peccaſſe nos primum mente reputemus: ut huius uocis patrocinium uitæ noſtræ demus; uereque dicamus remiſiſſe nos iis, qui nobis debent. At quid ſibi uult illud, quod iis, quæ commemorata ſunt, infra adiicitur? Ego neceſſarium arbitror, ne hoc quidem prætermittere, quod a nobis explanetur; ut cum id, quod precibus petimus, nos intellexerimus; animo, non ore ſolum Deum precemur. Ne inducas, inquit, nos in tentationem, ſed libera nos a malo. Quæ igitur, fratres, horum, quæ diximus, ſententia ac uis eſt? multis uariisque modis, ut uariæ diſtinctæq; ſunt prauæ omnino actiones, Dominus mihi uidetur Malum appellare, cum multis his nominibus eum uocet, diabolum, beelzebul, mamonam, mundi principem, ſceleratum mendacii patrem, hominum interfectorem; & quæcunque alia nomina id generis ſunt. Fortaſſe igitur in his nominibus, quæ de eo intelliguntur, eſt etiam tentationis nomen: ad hancq; nos opinionem confirmat illa nominum, quæ dicta ſunt; cõnſenſio. Cum enim dicat; Ne inudcas nos in tentationem; illud adiecit; ſed libera nos a malo; quaſi res eadem utroque ſignificetur nomine. nam ſi quis in tentationem non cadit, a malo plane remotus eſt: & qui in tentatione eſt, eum in malo utique uerſari oportet. igitur malum, & tentatio nominis ſignificatione cõueniunt. ergo quid nobis hæc precandi ratio præcipit? ut ab iis ſcilicet rebus, quæ in hoc mundo ſpectantur, nos prorſus auocemus; quoniã ut diſci-

pulis ait Dominus, est uniuersus mundus in maligno positus. Itaque qui ea cupiditate tenetur, ut a malo alienus sit; is a mundanis rebus se abducat necesse est. non enim tentatio animum attingere ullo modo potest; nisi hoc rerũ humanarum studium, quasi aliquam malorum escam ipsa proponens, hamum iis, qui auidiores sunt, iniiceret. Sed aliis exemplis hæc sententia magis atque magis aperietur. Sæpe uentorum ui ac procellis mare cum agitatur, periculosum est, sed non iis qui ab eo longe habitant. Ignis habet consumendi uim, sed in materia solum, quæ illi subiecta est. Bellum est tæterrimum iis, qui belli socii & participes sunt. Vt igitur qui belli incommoda calamitatesq; fugit; illud maxime precatur, ne in bellũ incidat; qui ignem timet, ne in igne uersetur, qui mare horrescit, ne sibi nauigandi necessitas imponatur: sic qui mali extimescit impetum, hoc potissimũ precari debet, ne in eo uersetur. Quoniã igitur, ut diximus, mundus, inquit Dominus, in malo positus est; tentationumque occasiones a mundanis existunt negotiis: recte quidem optimoq; iure is, qui a malo eripi precatur, illud quoque orat, ut a tentationum uinculis eximatur. Non enim hamum quis absorbuerit, nisi qui præ nimia auiditate escã attraxerit. Iam uero surgamus nos etiam, Deoque dicamus, ne inducas nos in tentationem, hoc est in huius uitæ mala; sed libera nos a Malo: qui cum magnam in hoc mundo potentiã uimq; obtineat, ab eo nos quoq; liberemur, munere ac benignitate Domini nostri Iesu Christi; quoniam eius est gloria, uis, ac potentia in sempiterna ætatum sæcula. Amen.

GREGORII NYSENI DE RATIONE BEATAE VITAE COMPARANDAE:

CONCIO I.

Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

IN hoc igitur hominũ conuentu quis eiuſmodi eſt, qui & hunc Domini ſermonem audiat; & ab inanibus humilibusque cogitationibus e terra una cum eo abductus, ad ſpiritalem altæ contemplationis montem aſcendat? Hic profecto mons eſt, qui impendentiũ uitio collium cum omnem umbram declinauerit; tum ueræ quidem lucis radiis undique colluſtratus cum ſit: inde quaſi ex alta ſpecula puro ueritatis lumine cuncta proſpiciuntur, quæ ſub aſpectum non cadunt eorum, qui conuallibus concluſi tenentur. qualia uero quãtaue ſint, quæ e ſummo hoc monte aſpiciantur, Dominus ipſe hoc ſermone oſtendit, cũ beatos dicat eos, qui una ſecum aſcenderunt. Nam ex una quidem parte cum cælorum regnum, ex alteraque cæleſtis terræ hereditatem quaſi digito aliquo oſtendat; tum miſericordiam, iuſtitiam, conſolationem, & eam, quæ omnino cum Deo fit, coniunctionem: & illud, ut Dei ſcilicet nos contubernales efficiamur; quod eſt laborum perſecutionumque præmium; cunctaque præterea proponit, quæcunque id generis alia ex altiſſimo hoc monte contemplari licet;

cet: quippe cum has ipſas res, quarum ex edito illo loco proſpectus aliquis eſſe poſſit, eas uniuerſas Dominus quaſi digito demonſtret. Quoniam igitur in montem Ieſus aſcendit; nos Eſaiam audiamus ita clamantem: Venite, & aſcendamus ad montem Domini; ſiq; peccato debilitati ſumus, tum manus diſſolutas (ita enim prophetiæ uerbis traditur) tum genua debilia roboremus. quandoquidem in ſummo nos monte conſtituti eum inueniemus, qui omnem morbum, omnem imbecillitatem ſanat; qui languores noſtros tulit, & dolores portauit. Itaque nos etiam aſcendere properemus; ut in ſumma cum Eſaia ſpe poſiti, quaſi e ſpecula contemplemur ea bona, quæ Dominus illis proponit, qui eam aſſecuti ſunt altitudinem. At nobis quoque aperiat os Dominus; eaque nos doceat, quorum commemoratio omnis eſt in beatitudine poſita. Nos uero id contemplationis initium faciamus, a quo earum rerum, quas cõmemorauimus cognitionis extat principium. Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Si quis auri cupidus forte in litterarum monimenta incidat, quibus aliquo in loco demõſtretur theſaurus, locusque, ubi ſumma illa pecuniæ uis obruta eſt, multum illi, qui eius rei aſſequendæ cupiditate trahatur, ſudorem laboremque oſtendat: num hic laboribus langueſcet, & in quæſtu negligentia utetur, in eoque ſtudio nullum laborem ponere ſuauius eſſe ducet, quam opes illas comparare? non ſane ita ſe res habet: ſed cum omnes ad hoc accerſierit amicos; tum operis, quam maximas poteſt, ad auxilium conductis, earum, quæ in occulto latent, diuitiarum uim ſibi parabit. Hic eſt ille ipſe theſaurus, fratres, quem ſacræ oſtendunt litteræ; ſed

mul-

multa est obscuritate abstrusus. nos, qui purissimi auri appetentes sumus, frequēti precum oratione utamur, ut illæ nobis opes apertissimæ fiant; atque omnibus æqualiter dispertiatur thesaurus:& totum quisque adipiscatur. Nam uirtutis distributio eiusmodi est; ut qui ea præditi sunt, in omnes illius partitio fiat, & cuique uniuersa insideat; neque in iis, qui illius participes sunt, imminuta appareat. Etenim qui terrenis opibus distribuēdis plus sibi assumit,hic eos omnino lædit,quibus cōtingere partium debet æquatio. quoniam is, qui partem suam cumulauit, socii utique parti detraxit. Spiritales autem diuitiæ idem sane efficiunt, quod sol, qui cunctis quidem integro oculorum sensu utentibus se impertit, totusque ad unumquēque accedit. Quare cum e suo quisque labore æque sibi præmium dari spē habeat; æquale itē precum auxilium omnes ad id adhibeant,de quo omnis futura est oratio. Itaque ego sane illud primū necesse esse arbitror,ut quid ipsa plane beatitudo sit, definiendo explicemus. Est igitur beatitudo, mea quidem sententia,omnium earum rerum,quæ sub boni appellationem cadunt, comprehensio; a qua nihil omnino est eorum remotum, quæ ad bonum expetendum plane pertinent. Sed huiusce rei cognitio, contraria apposita re, illustrior nobis fiet. Beatitudinis signum est gaudium immortale illud quidem, ac perpetuum, quod e uirtutibus capitur: contraria uero res,quæ beatitudini opponitur, est omnino miseria. Ergo quæ ex acerbis grauibusque rebus, atque ex iis, quæ inopinato nobis eueniunt,malis calamitas accipitur; miseria plane est. Quæ uero in utraque re inest, e contrario distincta est affectio: nam hoc quidē uir beatus habet, quod gaudet atque exultat iis sane rebus,

Beatitudo q̄d sit

quæ

quæ ſibi ad delectationem propoſitæ ſunt. is uero qui miſer eſt, dolet atque angitur illis, quibus affligitur malis. Atque ipſe quidem Deus uere omni ex parte beatus eſt; quem plane ita eſſe faciamus, ut beatitudo ſit illa ſempiterna: bonum id, quod neque oratione explicari, neque mente comprehendi queat; pulchritudo immenſa, ſapientia ac uirtus, quæ a ſe non aliunde profecta ſit; lux uera, omnis bonitatis fons, omnium præſtantiſſima poteſtas, res ſola amabilis, quæue ſibi perpetuo conſtet: immortale ſit gaudium, ſempiterna lætitia; de qua denique ſiquis uel omnia, quæcunque maxime poteſt, dicendo complectatur, nihil tamen oratione aſſequitur; cum id, de quo dicitur, mentis cogitatio non attingat. Sique aliquid de ea uel ſublimius mente animoque reputemus, quod tamen mentis eſt ratione comprehenſum, id orationis ui copiaque exprimi nullo pacto poteſt. Sed quoniam qui hominem fabricatus eſt, ad Dei ſimilitudinem illum effecit; id ſecũdo ſane loco beatiſſimum eſt, quod hoc nomine factum eſt ueræ beatitudinis particeps. Vt in egregia corporis forma primas tenet ea pulchritudinis ſpecies, quæ in uiui hominis facie uultuque naturaliter ineſt; ſecundas uero id obtinet, quod imitatione recte expreſſum, in ipſa imagine apparet: ſic hominum natura, quæ cæleſtis eſt beatitudinis effigies; cum ſpeciem ipſius beatitudinis notis expreſſam præſe ferat, illa quoque eſt optima pulchritudine plane inſignis. Sed quoniam peccati ſordibus imaginis deturpata eſt uenuſtas, uenit is, qui aqua ſua uitali illa quidem, ad uitamque æternam ſaliente nos abluit, ut deleta turpitudinis macula, quam ex peccato ſuſcepimus, ad priſtinam nos beatæ formæ ſpeciem plane reſtituamur.

mur. Quemadmodum in arte etiam pingendi qui illius artis cognitionem tenet, ſi rudibus atque imperitis hominibus dixerit, uenuſtã corporis ſpeciem eam eſſe, quæ his atque illis partibus conſtet; nẽpe cui talis coma ſit, elegans oris ſpecies, oculorũ orbes, ſuperciliorũ deſcriptio formaque, genarũ figura; & cetera in eo ſingula ſint eiuſmodi, ex quibus abſoluta quædã perfectaque ſit uenuſti corporis forma: ſic qui animum noſtrum ad illius, qui ſolus beatus eſt, ſimilitudinem quaſi pingendo exprimit; is quidem ſingula, quæ ad beatæ uitæ rationem pertinent, nobis oratione deſcribit; in primiſque illud, Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. At quid ex magno hoc munere nobis lucri fiet, niſi quæ his uerbis ſubiecta eſt, ſententia aperiatur? nam in medicina remedia quidem multa ſunt quæ multum ualent, difficileque parantur; inutilia tamen ea ſunt, minimeque ægros homines iuuant; niſi quæ cuique uſui ſingula eſſe poſſint, ex arte cognoſcemus. Ergo pauperem eſſe ſpiritu, quid hoc eſt, cum ex eo illud quidem comparetur, ut cæleſte quis adipiſcatur regnum? Diuitiarum genera duo e ſacris didicimus litteris, unum quod expetitur, alterum, quod ſane improbatur. Virtutum igitur diuitiæ illæ quidẽ expetuntur; terrenæ autẽ hæ, quæ in rerum caducarum copia ſunt, omnino damnantur; quoniam illæ quidẽ animi ſunt; hæ uero ad decipiẽdos ſenſus ualde accõmodatæ. eãq; ob cauſam, utpote quoniam hæ ad uermium eſcam, furumque expoſitæ ſunt inſidias, uetat nos Dominus earum facultatum copias parare; ſed in cæleſtibus diuitiis iubet nos ſtudium ponere. Tineas autem & fures cum dicat; oſtẽdit quidem eas res, quæ animi bona perdunt. Quare ſi diuitiis con

traria opponitur paupertas, duplex quadā ſane ratione omnino paupertatis genus intelligi licet; unum illud quidem aſpernandum, alterum uero, in quo beatæ uitæ ratio poſita eſt, expetendum. Itaque qui a temperantia inops eſt; quiue nullas iuſtitiæ, aut ſapientiæ, aut prudentiæ laudabiles partes poſſidet; aut alias id generis magnificas opes non tenet; ut harum omnino rerum prorſus egens inueniatur, pauperque ac mendicus: quoniam hic rerum, quæ in ſummo pretio ſunt, egeſtate laborat; miſer omnino eſt, ac commiſeratione plane dignus. uerum qui a cunctis rebus, quæ uitii nomine intelliguntur, ſponte ſua ac uoluntate uacuus eſt atque nudus; diaboliq; opes in ærariis ſuis reconditas nullas habet; ſed ſpiritalem uitam ducit, ſpiritusque ope iis copiis locuples eſt, ut a uitiis inops utique exiſtat: hunc ſane Dominus oſtendit in ea beatiſſima paupertate uerſari, cuius fructus eſt cæleſte regnum. Iam uero ad inſtitutum theſauri opus reuertamur, neque quæ occultata latent, ea omnino patefacere ulla inueſtigandi ratione ceſſemus. Beati, inquit Dominus, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Superius iam dictum eſt, rurſuſque hoc in præſentia exponetur, quemadmodum honeſtæ uitæ ratio, quæ uirtuti cōueniat, illud ſibi propoſitum habet, ut Deum imitetur. At uero quod ab affectibus uacuum eſt, neque ſub interitum cadit, longe hoc abeſt, ut homines illud imitari queant. neque enim ullo pacto contingere poteſt; ut uita, quæ perturbationibus ſubiecta eſt, illius ſimilitudinem naturæ attingat, quæ ab omni perturbatione ſoluta plane eſt ac libera. Itaque ſi, ut eſt apud Apoſtolū, beatus eſt ſolus Deus, homines autem ut huius beatæ uitæ participes fiant, id

illis

illis minine euenit, nisi Dei fiant similes : imitatio uero hæc difficilis est, quam assequamur ; ergo in hoc uitæ humanæ spatio nemo homo est, qui illius beatæ uitæ assequatur rationem . Sed quæ tamen a Deo fieri possunt, ex iis pleraque hominibus quidem uolentibus ad imitationem proposita sunt. Quæ igitur id generis sunt mea quidem sententia Dominus spiritalem paupertatem appellat uoluntariã illam & humilem moderatam que animi demissionem ; ad cuius exemplum nobis Apostolus Dei paupertatem his uerbis proponit. Iesus Christus propter nos egenus factus est , cum esset diues; ut illius inopia nos diuites essemus. Quoniam igitur cetera, quæ in diuina natura spectantur, omnia modum humanæ superant imbecillitatis; hæc uero humilitas & nata & educata una nobiscum est , qui humi serpimus, e terraque compacti sumus, atque in terram recidimus; si tu in eo, quod naturæ uis ac ratio patitur, Deum imitaberis; iam beatam personam ipse quoque induisti. At nemo arbitretur, nullo negotio, nulloque labore fieri posse, ut hoc humilitatis officium recte præstari queat : immo contra omnium , quæ in uirtutum studio officioque elucent, hoc ipsum est uel difficillimum . Quid causæ est ? quoniam dormiente homine, qui optima semina acceperat ; id, in quo contrarii seminis uis continetur, superbiæ zizanium ab infensissimo uitæ nostræ aduersario sparsum radices egit . quo enim modo ille sese in terram abiecit, eodem sane modo ad communem ruinæ casum miseros mortales una secum præcipites impulit : naturæque nostræ malum aliud nullum eiusmodi est, qualis est is , qui nobis ingeneratur , superbiæ morbus . Cum igitur qui humanæ naturæ participes sunt , iis hæc animi elati affectio

omnibus fere quodammodo insita sit: eam ob causam Dominus ex habitu nostro superbiam, quasi ueterem quendam morbum cum repellat, ab hac beatæ uitæ exorditur ratione, in eo quod id nobis cõsilii dat, ut qui sponte sua pauper factus, re uera omni ex parte beatus est, eum ipsum nobis ad imitandum proponamus; quo nos sponte, uoluntateque nostra paupertatem consectati, quibus rebus maxime possumus, in iis pro uirili eius similes efficiamur, huiusque modi beatæ uitæ cum illo nos simul ineamus rationem. Hoc enim, inquit Paulus, sentite in uobis, quod & fuit in Christo Iesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens. Quid abiectius in Deo, uiliusque uideri poterat, quam serui habitus? quid in eo, cuius imperio potestateue uniuersa continentur, humilius, quam se naturæ nostræ, quæ mendica est, participem fieri? Is qui maximus omnium rex est, summusq; Dominus, sponte seruilem induit personam: qui omnium iudex est, principibus tributum pendit: qui creatæ omnis naturæ Dominus, in spelunca diuersatur: qui cuncta complexu suo tenet, locum in diuersorio non reperit, sed in animalium præsepio abiectus iacet: qui ab omni labe purus est atque integer, humanæ naturæ sordes suscepit, ac per omnes humilis nostræ naturæ partes progrediens eo peruenit, ut causa nostra mortem obiret. Videte quæso uoluntariæ huius mendicitatis modum. Is, qui uita est, mortem sentit; is qui iudicio præest in iudicium trahitur; is, in cuius potestate uita est omnium, iudicis sententia morte multatur: is denique qui cælestis potestatis imperium tenet, satellitum manum non repellit. Hoc, inquam, exẽplum tibi

pro-

propoſitum ſit, quo humilis moderatique animi tui ratio referatur. Sed fortaſſe hoc præclare agi arbitror, ut abſurdam huiuſce uitii uim conſideremus, quo nos cum huiuſmodi humilitatis officiũ recte præſtiterimus, nullo negotio commodeque hoc nobis beatitudinis genus contingat. nam ut periti medici, repulſa morbi cauſa, facilius ipſius ægritudinis uim ſuperant: ſic nos cum eorum, qui ſe ſuperbe iactitant, inſolentiam repreſſerimus, facilem quidẽ, lateq; patentem ipſis aperiemus aditum ad humilis demiſſique animi rationem. ergo unde ſuperbiam hanc inanem eſſe, ac uanam oſtendemus? quoue alio modo id fiet, quam ſi, qualis noſtra natura eſt, demonſtretur? nam qui non ſua ornamenta, neque commoda, ſed ſe ipſe reſpicit; hic ſane quidem in eiuſmodi uitium non facile cadet. Quid plane homo eſt? lubetne, ut ex litterarum monimentis id in uulgus dicam, & quod grauius eſt, & quod plus dignitatis habet? Verum qui res noſtras ornat, & de hominis nobilitate glorioſius prædicat; e luto generis humani originem extare dicit, cognationemque tibi, qui generis nobilitatem oſtentas, cum lapide eſſe oſtendit. Quod ſi proximam, & eam, quæ in promptu eſt, cognationis tuæ originem commemorare uis; age quæſo ne hoc loquare, ne hiſcas, ne aperias, quemadmodum in lege ſcriptum eſt, pudẽda patris & matris tuæ; neue in medium ea proferas, quæ obliuione, multoque ſilentio obruenda ſunt. Deinde tu, qui e terra ſimulacrum es, pauloque poſt puluis es futurus; quiue ſpiritum in te eiuſmodi cõtines qui inſtar bullæ cito ad nihilum recidet; an nõ erubeſcis ſuperbia te efferri? arrogantiaque atque inani ſpiritu animum tuũ turgeſcere? an non utrunque cernis humanæ uitæ terminum, un-

de

de ſcilicet initium ducat, quoue fine terminetur? At de adoleſcentia ipſe triumphas, floremque ætatis dumtaxat tecum reputas, ac uenuſta corporis ſpecie exultas, quoniam ad agitationem manuũ firmitate, & ad ſaltationem celeritate pedum uales, capillis es uento diffluentibus, genis tenera pilorum mollitie diſtinctis; ueſtemq; habes purpura prætextam ac uario opere ornatam: pannos ſericos poſſides uariis prœliorum, aut uenationum figuris diſtinctos, aut rerum aliarum, quæ geſtæ ſunt, hiſtoriis ornatos; aut tu fortaſſe calceos, uel ſoccos attente reſpicis, nigro colore inſignes, diligentiq; & artificioſo fibularum opere elaboratos. Hæc tu ſane animaduertis; te uero ipſe minus conſideras. Equidem oſtendam tibi, quaſi in ſpeculo, quis qualis ue ſis. Non ne in ſupulcrorum locis naturæ noſtræ aſpexiſti myſteria? non ne oſſa promiſcue cõgeſta uidiſti? an nõ capita a capillis nuda, quæ exuta carne, effoſſisq; oculis terribilẽ ac deformẽ præ ſe ferunt ſpeciem? an ora hiantia, reliquaque membra prout ſors tulerit diuulſa uidiſti? Certe ſi illa attentis oculis aſpexiſti, te ipſum in illis contemplatus es. Vbi huius florentis uitæ ſigna? ubi optimus genarum color? ubi in labiis flos? ubi & grauis, & ſuauis oculorum aſpectus, ſuperciliorum ambitu decore inſignis? ubi naſus rectus uenuſtis genis belle interiectus? ubi ſuperbe compta coma? ubi circum tempora compoſiti capilli, & cincinnorum fimbriæ? ubi ad iaculandum ualidæ manus? ubi ad equitandum pedes? ubi conchyliata ueſtis, aut torques, aut cingulus? ubi ſocci, curſus, equus, fremitus, ceteraque omnia, quæ in hac uita ſuperbiã tibi ſpiritusq; addũt? Tu quæſo dic ubi in mortuis hominibus ea, quorum gloria te effers, ac magnifice iactas?

quod ſomnium adeo uanum? quæue in ſomnis talis oblata uiſio? quodue hominis ſpectrũ ita tenue, atque adeo tactum ſubterfugiens,quale eſt adoleſcentiæ quaſi ſomnium; cuius ſimulac oblata ſpecies eſt derepente tranſit? Atque hæc quidem uelim a me iis dicta ſint, qui quoniam adoleſcẽtes ſunt, præ ætate imbecilla minus recte ſapiunt. Sed dicet quis, quid de iis qui ætate perfecta ſunt iamque confirmata, morum autem ratione minus firma, cum ſeſe magis atque magis ſuperbiæ uitio efferant; hanc morum quaſi ægritudinem mentis appellant impetum? Magiſtratus, & ea, quæ ab eo poteſtas exiſtit, ſuperbiæ materiam occaſionemque ſæpe præbent. Nam aut qui magiſtratu præditi ſunt, hoc uitio laborant; aut cum illius adipiſcẽdi rationem ineũt; aut de eo ipſo ſermones uim huius morbi reſtinctam ſæpe iterum accẽdunt. Ecquæ orationis uis eiuſmodi eſt,quæ in iſtorum aures penetret, acclamatione præconum ante obſtructas? Quis iſtis perſuadebit, qui hoc affectu aſtricti tenentur, nihil ſe quidquam ab illis plane differre, qui in ſcæna ſeſe glorioſe oſtentant? nam illi perſonam aliquam uel formoſiſſimã aſſumunt, purpureãq; ueſtem & auro intextam induunt, curruq; magnifice uehuntur; ex huius tamen generis pompa nullus eos inuadit ſuperbiæ morbus; ſed quo ſpiritu, quoue mẽtis habitu prius erant, quam in ſcænam prodirent, eundem ſane in ſollemni illa pompa retinent: neq; poſtea, cum e curru deſcendunt, perſonamque illam magnificam deponunt, id ægre ferunt. Qui uero in hoc uitæ theatro, magiſtratus tempore, in illa pompa gloriantur; cum neque quod paulo ante præteriit, neque quod paulo poſt ſequetur; ſecum ipſi reputent: tanquam bullæ, quæ inflatione tumeſcunt: ſic

ſic iſti magnifica præconum acclamatione ſeſe efferunt; alienæque cuiuſdam perſonæ habitum ſibi affingũt ; ac naturali mutato uultu, tætram atque terribilem quandam hominis formam induunt; & aſperiorem uocis ſonum ita ſimulant, ut inclinata ululantiq; uoce loquantur ad terrorem incutiendum iis, qui audiunt. Hi certe non amplius in humanitatis ſe finibus continent;ſed diuinam ſibi auctoritatem poteſtatemque arrogant; cum uitæ neciſque ſe dominos eſſe arbitrentur; propterea quod eos, qui apud illos cauſam dicunt, partim ſalutari ſententia abſoluunt; partim morte multant. Neque iſti quidem illud etiam animaduertunt, quis re uera hominum uitæ poteſtatẽ habeat; hoc eſt, quis uitæ & initium & terminum præſcripſit. Quanquam ad reprimendam iſtorum animi inſolentiam uel illud ſatis eſſet, quod qui cum imperio ſunt, ii maximam partem, in ipſo poteſtatis imperiique theatro e mediis tribunalibus morte erepti, funere efferuntur; proque præconum uocibus lamentabilis exauditur fletus. Quo igitur pacto alienæ uitæ dominus eſt is, qui ſuæ uitæ poteſtatem non habeat? Itaque ſi mente hic pauper eſt; ad eumque animo contuetur, qui ſponte ſua noſtroq; nomine eſt pauper factus; ſiq; communem naturæ noſtræ condicionem ſibi ob oculos ponit; & præ inani illa falſaque poteſtatis ſpecie commune mortalium genus minus contemnit; beatiſſimus hic reuera habendus eſt; quoniam hanc humilis animi affectionem, quæ uel ad tempus manet, cum perpetuo illo cæleſtiq; regno permutabit. Neque tamen, frater, tu alteram paupertatis rationem aſpernare, quæ diuitiarum cæleſtium conciliatrix eſt; nam Dominus inquit; uade, & uende omnia quæ habes, & da pauperibus; & ueni, & ſequere

Altera Paupertas quæ in donorum temporalium egestate et contemptu sita est.

me;

me; & habebis theſaurum in cælis. Neque enim hæc paupertatis ratio ab ea diſcrepare uidetur, quæ beatum hominem efficit. Diſcipulus enim ad Dominum; Ecce nos, inquit, reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Huic uero ecquid reſponſum? Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Lubet ne audire, quis plane ſpiritu pauper eſt? is uidelicet, qui has rerum copias, quæ ad corporis uſum pertinent, cum animi opibus permutabit. Is, qui pauper eſt ſpiritu, terrenas has diuitias, quaſi graue aliquod onus abiiciet, ut ſublimis alte feratur, in nubibusque, inquit Apoſtolus, una cum Deo in cælum rapiatur. Auri uis res quædam grauis eſt; quæue ob diuitias expetitur, res omnis deorſum fertur. Virtus autem leuis eſt quædã res, quæ ſublimia petit. At quod graue, quodue leue eſt, hæc duo inter ſe admodũ repugnant. Itaque difficile atque arduũ eſt, ut leuis efficiatur is, qui graue ſibi aliquod onus impoſuit. Si igitur cæleſtia petere nos oportet, ab iis certe, quæ deorſum trahuntur, inopes atque uacui ſimus neceſſe eſt, ut in cæleſtibus plane rebus uerſemur. Qualis autem huiuſce rei perficiendæ modus exiſtat, his pſalmi uerbis nos docemur; Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Qui egenti homini impertietur, is participem ſe illius efficiet, qui cauſa noſtra pauper factus eſt. Pauper egenuſque fuit Dominus; neque tu quidem paupertatem metue. Verum qui propter nos egenum ſe fecit, omnis creatæ naturæ ille imperium habet. Ergo ſi cum eo, qui pauper fuit, tu ſimul pauper eris, regnum una item cum illo regnante ipſe obtinebis. Nam beati, ille inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. quo quidem regno

dignos nos præſtemus, auctore Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria ſit ac potentia ſempiternis ſæculis. Amen.

CONCIO II.

Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram.

QVI gradibus ſcalæ quibuſdam ſublimiora petere contendunt; ii cum primum aſcenderint gradum, illo ipſo adiuti alterum ſcandunt, quo aſcendentes ad tertium ducuntur; hicque ad ſuperiorem proximum; ille ad reliquos, qui ordine deinceps ſequuntur, aſcenſum præbet. Itaque ii ſcilicet, qui conſcendunt, dum ab eo, in quo conſiſtunt, gradu ſeſe ad ſuperiorem efferunt; hoc recto graduum oridine ad ſummum plane perueniunt. Quorſum ſpectat hæc mea inde ducta exordii ratio? Ego uero arbitror quaſi graduum modo collocatam eſſe beatitudinum rationem, quæ mutuo quodam ordine facilem paret ſermoni noſtro aſcẽſum. Nam qui primum beatæ uitæ gradum eſt mente aſſecutus; neceſſe quodammodo eſt, ut is recto cogitationum ordine proximum comprehendat gradum; licet noua quædam a Domino introducta ſint, quæ ad primum ſane gradum ſpectare non uidentur. Fortaſſe enim qui audit, nullo modo fieri poſſe dicet; ut cæleſtis regni poſſeſſionem quis adeptus, quaſi quodã graduum ordine, terræ poſtea hereditatem cernat: quandoquidem ſi naturalem rerum ordinem imitari debet oratio, illud magis cum naturæ ratione conſentit, ut terra ordine prior eſſet, quam cælum; utpote cum hinc e terra ad cælum nobis pateat aſcenſus. Verum

ſi nos quaſi uolucres facti mente eo peruolauerimus, ut in teſtudinis cæleſtis dorſo conſiſtamus; cæleſtem ibi inueniemus terram; cuius hereditas iis propoſita eſt, qui illud uitæ genus uirtuti conſentaneum ſecuti ſunt. Itaque hæc ordinis ratio non ſane mihi uidetur a beatitudinum aberrare diſpoſitione, ut in promiſſis primum ſcilicet cælum, deinde terræ a Domino ſit nobis propoſita hereditas. nam quidquid ſpeciem aliquam præ ſe fert, quod ad corporis attinet ſenſum, id omne cognatione inter ſe quadam continetur. Atque cælum quidem etſi loci interuallo a nobis alte diſtare uidetur; in ſtatu illius tamen naturæ eſt, quæ ſub mentem cadit: ſed eo certe peruenire mens non poteſt; niſi quas res noſter aſſequitur ſenſus, eas ipſas mentis noſtræ ſit prætergreſſa ratio. Neque mirari quidquam debes, ſi cæleſtis patriæ domicilium terræ nomine appellatur; quoniam rudi humilique noſtro aurium ſenſui ſeſe Dominus accommodat; qui eam ob cauſam ad nos deſcendit, quoniã ad eum nos aſcendere nõ poteramus. Itaque & uerbis & nominibus, quæ nobis in promptu ſunt, diuina ille nobis tradit myſteria; cum illis ipſis quidem uocibus utatur, quas hominum tenet conſuetudo. Nam in proxima ſuperiori promiſſione regni nomine eam appellauit cæleſtis beatæque uitæ rationem, quæ nulla orationis ui explicari poteſt. An oratione is eiuſmodi aliqua oſtendit, qualia ſane ſunt ea, quæ hoc in terris regnum continet? an diademata quædam, quæ lapillorum radiis elucent? an ueſtes purpura prætextas, uarioque florum opere ornatas, quæ ſuauem aliquem eruditis oculis aſpectum præbent? an excelſas porticus, periſtromata, ſoliaque alte extructa? an ſatellitum, ſtipatorumque cohortes? an alia id ge-

nus, quæcunque in hoc uitæ theatro, quaſi tragica ſpe ctacula proponunt ii, qui eiuſmodi rerum copia imperii poteſtatisue ſuæ amplitudinem augere ſtudent? Sed quoniam in hoc uitæ ſpatio magnum aliquid eſt regni nomen, ceterisque rebus præſtat omnibus, quæ in uita hominum ſtudio expetuntur, iccirco ad ea, quæ in cælis ſita ſunt, bona exponenda hoc uſus eſt nomine; ut ſi apud homines aliud aliquid eſſet, quod regno præſtaret; hoc ipſo excellentis rei nomine auditoris animum ad immortalis beatæque uitæ excitaret rationem. Neque enim fieri poteſt, ut cæleſtia bona, quæ neque ſub cognitionem, neque ſub ſenſum hominũ cadunt, humano generi propriis explicarentur nominibus. talia enim ea ſunt, quæ neque, inquit Apoſtolus, oculus uidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit. Verum ut ne uitæ illius beatæ, quæ in ſpe nobis eſt, ſtatus omnino mẽtis noſtræ effugiat contemplationem; admirãda illa bona ita nobis exponuntur, quemadmodum humilis noſtri ingenii patitur ratio. Quare communis hæc terræ appellatio non debet mentem tuam a rebus cæleſtibus iterum ad has terrenas auocare appetitiones. ſed ſi propoſitis beatæ illius uitæ præmiis mente tu elatus eo prouectus es, ut cæleſtia ſperes; tum in eo ſtudium ponas uelim, ut eam inueſtiges terram, cuius non ad omnes pertinet hereditas, niſi ad eos, qui ob manſuetæ uitæ ſtudium digni habentur, qui illud aſſequãtur promiſſum; quod magnus etiam Dauid, qui omnium illius ætatis hominum tum manſuetiſſimus, tum patientiſſimus fuiſſe diuinis traditur litteris, ſpiritu is diuino afflatus & præſenſiſſe, & fidei ope iam id præoccupaſſe uidetur, quod in ſpe poſitum eſſet, cum in hæc uerba erumpat; Credo me uidere

dere bona Domini in terra uiuentiũ. Non equidẽ credo a propheta hanc uiuentium terram prædici, quæ caducas res omnes gignit, quidquidue rursus ex ea exiſtit, id omne in interitum cadit; ſed illam ipſe uiuentium terram præuidit, ad quam morti nõ patet aditus; in qua nulla trita eſt peccatorum hominum uia; quæ nullum ſuſcipit uitii ueſtigium; quam non improbitatis aratro is proſcidit, qui zizanii ſemen ſpargit; quæ tribulos ac ſpinas non parit; in qua & requietis aqua eſt, & paſcuæ locus, & fons in quattuor riuos difflués, & uinea a Deo omnibus rebus exculta; & in qua denique omnia id genus alia uigent, quæcunque occulta nos quadam ſignificatione ex diuinis cognoſcimus litteris. Iam cognita nobis eſt ſublimis illa terra, quæ ſupra omnes cælos ſita ſpectatur; in qua magni regis ſimul habitatur ciuitas; & de qua magnifice, ut eſt apud prophetam, glorioſeque multa dicta ſunt. Quare non optimo iure nobis amplius præpoſterus atque abſurdus ordo adhiberi debet, qui in exponendis his beatæ uitæ rationibus adhibetur. Neque enim conſentaneum, opinor, eſt, hunc infimũ terræ globum ad ſpem remunerationis illis proponi, qui in nubibus (ut Apoſtoli uerbis utar) rapientur in occurſum Domini in aerem, & ſic ſemper cum Domino futuri ſunt. Quod cum ita ſit, cui uſui hæc infima terra eſſe poteſt iis, quibus cæleſtis uita in ſpe propoſita eſt? Rapiemur enim in nubibus in occurſum Domini, & ita ſemper cum Domino erimus. Iam uero uideamus, cui uirtuti præmium proponatur illius terræ hereditas, cum Dominus beatos eos dicat, qui manſueti ſunt, quoniam ipſi terram poſſidebunt. Quid igitur manſuetudo eſt? & in qua re nomen manſuetudinis po-

nimus

nimus, quam Dominus beatam prædicat? non enim omnia, quæcunque manſuete fiunt, æque in uirtute haberi arbitror; ſi quæ remiſſe aguntur, tardeque; ea hac una ſignificarentur dictione. Non enim in curſu is, qui remiſſus eſt, ac manſuetus, melior habetur, quam ille qui multum feſtinat. neque in pugillatione is, qui motu tardus eſt; de aduerſario palmam fert: immo uero ſi ad cæleſte præmium, ad quod uocati ſumus, curſu contendimus; omnibus nos uiribus feſtinare Paulus monet iis uerbis; Sic currite, ut cõprehendatis. nam ipſe etiam neglectis iis, quæ a tergo fierent; ad illa, quæ eſſent a fronte; tum uehementiori curſu ferebatur; tum pugnando, cum aduerſarii in ſe impetum caute obſeruaret, facili ſeſe agitatione mouebat. Et quoniam pedibus firmus erat, & manibus armatus; telum, quod in manibus haberet, non in imbecillum aliquem coniiciebat, qui uix ſtare poſſet: ſed cum plagas aduerſario inferre cõtenderet; eas corporis partes ictibus petebat, quæ ad hoc ipſum opportunæ paterẽt. Viſne in pugna Pauli artem exercitationemque cognoſcere? uide quæſo aduerſarii uulnera; uide reluctantis cicatrices; uide in eo, qui ſuperatus eſt, impreſſas plagarum notas. Noſti omnino aduerſarium, qui carnis quaſi telis oppugnat; hunc continentiæ unguibus ille dilacerat; pugnandique arte male percutit; cuius membra his armis interimit; fame ſcilicet, ſiti, algore, nuditate; cui Domini notas inurit; quem a tergo relinquens, curſu ſuperat; quaſi ſi aduerſarius anteuerteret, tenebras oculis ſuis offudiſſet. Itaque ſi in concertationibus celer eſt, atque expeditus diuus Paulus; ſi Dauid cum in hoſtem impreſſionem faceret greſſus dilatat; ſi ſponſus, ut eſt in canticis, & montes tranſilien
do

do, & in collibus ſaltando, damæ motu celeri comparatur: multaque eiuſmodi alia commemorare licet, in quibus mouendi celeritas præſtantior apparet, quam hæc remiſſio manſuetudoque: quid igitur cauſæ eſt, cur hoc loco Dominus in perfectæ eam uirtutis genere numeret beatamque dicat? nam beati, inquit, manſueti, quoniam ipſi terram poſſidebũt; eam plane terram, quæ optimarum eſt frugum fertilis & copioſa; in qua uitalis arbor frondeſcit; in qua ſpiritalium munerum fontes erumpunt; in qua fetus parit uera illa uinea, quam colere patrem Domini audimus. Verum enim uero aliquod eiuſmodi præceptum Dominus tradere uidetur; quod ad uitium ſcilicet facilis eſt admodum hominum propenſio; in deterioremque partem celer ac procliuis fertur hominum natura; id quod in rebus omnino grauibus fieri uidemus, quæ ſurſum plane non mouentur: ſin autem e ſummo aliquo mõte decliues impelluntur: grauitate ac pondere ſuo cum impulſum illum concitent; adeo uehementi ſtrepitu celerique impetu in ſubiectum feruntur locum, ut præceps illa uis nulla oratione explicari queat. Itaque quoniam in eiuſmodi grauibus rebus periculoſa eſt præceps illa celeritas; quæ res huic contraria opponitur, ſalutaris eſt ac plane beata: eiuſmodi autem res eſt tarditas ac manſuetudo; quæ tales naturæ impetus conſtanti quodam habitu retardat. Nam ut ignis, qui ſurſum natura ſua ſemper mouetur; contra ſi deprimitur, deorſum nõ ſane fertur; ſic uirtus quoniam celer eſt, atque expedita, ut ſublimia petat; cumque de celeritate ſua nihil unquam remittat; cõtrario impulſu agitata non mouetur. Cum igitur per ſe ſatis ad uitia procliuis natura noſtra impellatur; præclare quidem agitur, ſi ad ea man-

mansueta quædã animi remissio adhibeatur: quoniam cum ab illis quiescimus; id argumento est nos ad cæle stia impelli. At uero melius esset utique, huius uitæ exemplis rem, de qua oratio habetur, aperiri. Duplex est in singulis hominibus quædam uolũtatis inductio, qua ad id, quod sibi uidetur, libere quisque impellitur; unius quidem impulsu ad temperantiam, alterius uero ad intemperantiam trahitur. Quod in parte de uirtute uitioq; dictum est; id in uniuerso intelligatur. nam in contrarias omnino appetitiones distrahitur hominum ingeniũ: utpote quis iratus in lenitatem, impotens in modestiam, inuidus in beneuolentiam, odii plenus in amorem reconciliandæ pacis animo sæpe impellitur. Quare cum hominum uita ex ea materia constet, in qua animi uersentur affectiones; affectioque omnis adeo uehementi impetu feratur, ut reprimi non possit, nisi illud ipsum expleat, cuius cupiditate trahatur; materia uero cum grauis atque eiusmodi sit, quæ in infima petat: id propterea beatos Dominus non eos dicit, qui longe sese ab animi motibus abducunt; quoniam fieri non potest, ut in uita, quæ materiæ affectionum subiecta est, illa perfectæ uitæ actio præstetur, quæ ab ipsis affectibus plane uacua est. Sed quæ uirtutis actio in hac uita, quæ e carne constat, a nobis præstari potest; hanc Dominus mansuetudinem uocat; affirmatque si quis mansuetus est ac lenis, hoc ualere, ut beatus ille fiat. Etenim non illud humanæ naturæ præscribit, ut ab omni prorsus affectu illa uacet: siquidem æqui non est latoris legis, ea iubere, quæ naturæ non patitur ratio. Quod quidẽ non ab eo dissimile esset, ac si quis aquatiles animantes, ad uolatilium uitæ morem commutet; & contra, quæ in cælo uiuunt,

eas ad aquam traducat. Verum legem ita ferri oportet, ut legis ipsius præceptum naturæ nostræ uis exequi possit. Eamque ob causam & mansuetos, & moderatos nos esse; non omni prorsus affectu carere iubet Dominus. hoc enim supra naturam nostram est, illud autem uirtutis officio perficitur. nam si ei, qui cupiditate non afficitur, propositus esset illius beatæ uitæ status; inutilis illa quidem, & minime uitæ fructuosa esset remuneratio. Quotus enim quisque est, qui e carne & sanguine concretus, hoc ipsum assequeretur? Iam uero non eum, qui aliquo forte casu cõcupierit: sed illum qui consulto, sponteque hoc concupiscendi uitiũ contraxerit, damnandum esse ait. Siquidem ea, quæ naturæ nostræ adglutinata est, imbecillitas, illud nobis uel inopinãtibus comparat; ut huiusmodi nobis appetendi uis ingeneretur. Verum cum aliquis ad huiusmodi animi appetitionem non incitatus quasi torrens fertur; sed huiusmodi perturbationis concitatam materiam fortiter reprimit, rationisque ui adhibita eam plane depellit; hoc certe est uirtutis officium. Ergo bene beateque cum iis est, qui in turbulentos animi motus præcipites non ruunt; sed cum in rationis officio sese contineant; in iis ipsis ratiocinandi uis, quasi frenum aliquod, uehementes coercet appetitiones; neque animi uim sinit perturbatione aliqua efferri. Sed quam beata profecto res sit mansuetudo, hoc ipsum aliquis melius animaduertere potest in eo, qui ex ira gignitur, affectu. Cum enim aut uerbum aliquod, aut factum, aut aliqua rerum minus iucundarum suspicio eiusmodi morbi uim excitabit, sanguisq; in corde efferuescet, & ulciscendi libidine efferetur animus; tum quemadmodum quadam medicamentorum potione adhibita

hominum naturam in uarias belluarum ſpecies mutari fabulæ narrant. Sic uidere licet ex homine de repente aliquem aut aprum, aut canem, aut pantheram, aut aliam id genus feram iracundiæ ui illum factum eſſe. Oculus cruore ſuffuſus, capillus erectus atque horridus, uox aſpera, ac uerbis uolubiliter incitata, lingua perturbatione torpeſcẽs, neque intimorum affectuum adminiſtra, labia compreſſa, quæ neque articulate uerborum uim imprimunt; neque humorem illum, qui ex ea perturbatione innaſcitur, coercent; ſed illius ſpumam una cum uoce fœde expuunt; manus, pedes, tota corporis conſtitutio, ſingulaque membra ita male affecta, ut perturbationi illi omnino cohæreant. Itaque ſi quis eiuſmodi eſt; alter uero, qui manſuetudinem ſibi ob oculos ponit, rationis adhibitis remediis morbi uim mitigat, conſtantiq; uultu remiſſaq; uoce ſedate omnia agit, tanquam medicus is, qui phreneſi laborantem quempiam arte curat: an nõ facta huius atque illius comparatione ipſe dices, eum, qui quaſi beſtia quædam ferum ſe oſtẽdit; tum miſerabilem illum, tum deteſtabilem eſſe? alterum uero, nempe qui manſuetus eſt, an non beatiſſimum prædicabis, qui neque tale imitatus ſit uicini uitium, neque decorum uultum indecore diſtorſerit? Quod uero ad hunc potiſſimum affectum Domini ſpectet oratio, inde perſpici licet, quod humilitatis præcepto primũ poſito, deinde manſuetudinis legem præſcripſit: quoniã hæc utraque uirtus inter ſe cognatione contineri uidetur: illaque humilis ac moderati animi conſtitutio quaſi quædam eſt manſuetudinis mater. nam remota animi impotentia ſuperbiaque, nulla eſt iræ materia atque occaſio. Siquidem cõtumelia atque ignominia huiuſce morbi

iratis hominibus causa existit: iniuria uero contumeliaq; non eum attingit, qui se ita comparauit, ut humili sit animo. nam si quis ea est mente præditus, quæ omnis sit humanæ fraudis expers, ac plane sincera; uilemque naturam, quam ipse sortitus est, contemplatur; animaduertitque unde constitutionis suæ initium ipse habeat, quoue fine terminetur; sique breuem hanc uitam, citoque interituram, atque sordes huic carni adglutinatas, eamque naturæ inopiam cernit, ut ad sui tuitionem conseruationemq; satis esse non posset, nisi illius egestatem expleret animalium copia: deinde si dolores, luctus, calamitates, uariaque morborum genera considerat, quibus subiecta cum sit hominum uita; nemo sane homo ab iisdem naturæ iure immunis est, ac plane liber. is qui cuncta hæc puro mentis sensu accurate animaduertit, non ademptos sibi honores ægre fert: quin potius contra, si qui honos sibi in aliquo a uicino tribuebatur: id dolo malo fraudeq; confieri arbitrabitur; quoniam rerum natura nihil eiusmodi comparatum est, quod in honoribus societatem habere queat; nisi ea sunt, quæ ad animum pertinent; cuius honos non ex iis rebus constat, quæ in hac uita mortalium studio expetuntur. nam aut opum gloria, aut generis ostentatio, aut quædam excellentiæ species; ex quibus sane rebus summi existunt hominum honores; hæ res omnes tollunt, atque plane dedecorant animi dignitatem; ut nemo, qui ratione utatur; eiusmodi re aliqua patiatur puram animi deturpari integritatem. Cum autem aliquis ita sese habeat, hoc aliud sane nihil est, nisi quod is in graui quodam humilis moderatiq; animi habitu uersatur. quo quidem habitu recte exculto perfectoque illud fiet, ut ad ani-

mum nullus pateat iracundiæ aditus . qua longe remota, tum quieta illa quidem ſedataq; omnino, conſtituitur quædam uitæ ratio, quæ alia non eſt, ac ipſa manſuetudo; cui finis propoſitus eſt, beatæ uitæ ſtatus, cæleſtisque terræ hereditas, auctore duceque Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria potentiaque ſempiternis ſæculorum ætatibus. Amen.

CONCIO III.

Beati lugentes quoniam ipſi conſolabuntur.

NONDVM ad ſummam nos mentis altitudinem peruenimus; ſed infra medium adhuc meditationum montem uerſamur: ſique per beatitudinũ gradus, quibus nos altius prouehit Dominus, ad beatiſſimam paupertatem, & manſuetudinem, quæ excelſior, quam illa eſt, perducti duos iam colles ſuperauimus: tertiam quoque ille nobis beatitudinum altitudinem demonſtrat, ad quam omni mora abiecta, omnique peccato (ut Pauli uerbo utar) circumſtante dimiſſo, nos omnino curſum tenere oportet; ut in altiſſimo gradu collocati, celeres atque expediti ad purius ueritatis lumen animo propius accedamus. Ergo quid illud eſt, quod dicitur? Beati qui nunc lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Certe qui rerum humanarum rationem habet, is utique ridebit, hacq; neglecta ſententia talia dicet: Si in hoc uitæ curriculo beati habentur ii, qui omni miſeriarum genere coficiuntur: illud ſane conſequens eſt, ut miſeri illi ſint, quorum uita ab omni mærore uacua in ſecundo rerum curſu uerſatur: atque ita fiet, ut ſi

plura

plura calamitatũ genera hic enumeret, riſum plane expleat. uerbi cauſa, ſi uiduitatis incommoda, ſi orbitatis ærũnas ob oculos ponat; ſi damna, naufragia, belli prædas, iniquas iudicũ ſententias, exilia, bonorum proſcriptiones, ignominias, morborũ calamitates, ut febres, membra amputata, omnẽq; tum corporis peſtem, tum uniuerſa denique ſiue animi ſiue corporis uitia, quæ in hac uitæ uſura cõcipiunt mortales: hæc omnia ſi quis oratione percurret, ridiculum iudicio ſuo id oſtendet, quod hoc ſermone diſſeritur; bene ſcilicet iis eſſe, qui lugẽt, ac triſtes ſunt. At uero nos cũ pro nihilo eos putemus, qui rerum diuinarũ ſententias demiſſo animo, uili abiectaque mente intuentur, omnem conatum adhibeamus, ut, quoad fieri poteſt, rerum cernamus copiam, quæ alte in iis infixa hæret, de quibus habetur oratio: ut inde intelligi ac perſpici queat, quantum mens aliqua humilis, quæ carnis eſt aſtricta ſenſibus, ab ea diſtet, quæ alte ſpectat, ac plane cæleſtis eſt.

Atque luctum quidem illum, qui & propter ſcelera admiſſa, & ob peccata adhibetur, uel beatiſſimum ex eo exiſtimare licet, quod de triſtitia ſcribit Paulus; cum nõ unum triſtitiæ genus eſſe dicat; unum quidẽ ſæculi, alterum uero ſecundum Deum: hunc quidem ſæculi luctum gignere mortem; illum ſalutarem iis eſſe, qui ex pænitentia dolore afficiũtur. nam reuera animi affectus eiuſmodi non eſt a beatitudine alienus: cum peccatum ſcilicet agnoſcens animus, genus illud uitæ deplorat, quod eſt peccato uitioque aſtrictum. Vt enim in corporis morbis, cum membrum aliquod ex aliqua offenſione langueſcit, indolentia quidem ſignum eſt, quod membri male affecti uis extincta eſt. ſin autem medicamẽto aliquo adhibito, uitalis reſtituitur ſenſus cor-

pori;

pori; tum ægrotus, tum illi qui curationes adhibent, laboranti membro gaudent: quoniam morbi sensim discedentis hæc eis significatio est, quod membrũ illud acria medicamenta sentire incipit: sic nonnulli, ut est apud Apostolum, postquam fuerint ab omni doloris sensu uacui, uitiosæ se uitæ ipsi dant; cumque aliqui mortui sint, & languescãt in uitæ honestæ ratione, nullum earum rerum, quas agunt, sensum omnino habẽt. Sin autem hos aliquo modo attigerit oratio, quæ quasi remedium afferat, utpote quæ calidis & urentibus medicamentis, futuri scilicet iudicii rebus horribilibus minas iactet; & rerum, quæ expectantur, metu grauiter eorum perterrefaciat animum; geennæque terrorem, ignem sempiternum, uermes perpetuos, stridorem dentium, æternum luctum, tenebras exteriores atque eiusmodi denique omnia minitetur: tanquam is, qui calida quædam & acria medicamenta illi adhibet, qui uoluptatis morbis obtorpuit; tum pristinum uitæ sensum ei restituet; tum illum beatum efficiet; cum grauem quendam eius animo doloris sensum intulerit. Quemadmodum Paulus etiam eum, qui rem cum uxore patris sui habuit, uerbis eatenus uerberat, quoad ille se peccasse non agnouit. & quoniam hominis illius medicina obiurgatio fuit, quasi doloris luctusque præsidio eum beatum iam factum, cohortari aggreditur; ut ne abundantiori tristitia, (ita enim loquitur) is absorbeatur. Atque ad eam quidem contemplationem, quæ de beatitudine proposita est, hæc a nobis sententia exposita sit, non inutilis illa quidẽ ad honestæ uitæ rationẽ; propterea quod cum in hominũ natura peccatum abundet; huius rei medicina est is luctus demonstratus, quo ex pænitentia afficimur. Sed grauius aliquid

iis,

iis, quæ commemorauimus, ſubindicare Dominum cenſeo; cum præter illud in graui hoc luctu adhibendo aliquid aliud ſe intelligere oſtendat. Etenim ſi ſolam delicti demonſtraret pænitentiam; illud magis conſentaneum eſſet, beatos illos dici, qui iam in luctu fuere, non eos ſane, qui perpetuo lugent. Exempli cauſa in aduerſæ ualetudinis ſtatu qui curationibus ſanati iam ſunt, beatos putamus; non illos qui in perpetua ſunt curatione; quoniam morbi perpetuitatem curationis oſtendit productio. Verum ego aliter quidem recte ſe habere arbitror, ut non hac una ſententia res contineatur, quod Dominus ſcilicet iis, qui peccatum lugent, beatæ uitæ præmium tribuat. nam pleroſque inueniemus, qui innocentis uitæ curſum tenuerunt; ipſoque uel Dei teſtimonio ſunt omni uirtute commendati. Quæ Ioannis auaritia fuit? quod in idolis colendis ſtudium Eliæ? quod uel graue, uel leue peccatum in illorum uita commemorauit hiſtoria? Quid eſt igitur, quamobrem ſtatuat Dominus beatitudinis præmio illos carere, qui neque a principio ægri fuere, neque remedium hoc, nempe pænitentiæ luctus uſu illis uenit? An non ab omni ratione alienum eſſet opinari, illos ab hoc diuino beatæ uitæ ſtatu repulſos eſſe; quoniam neque peccauerunt, neque peccatum luctu curauerũt? hoc enim pacto peccare præſtantius eſſet, quam uitam a peccato alienam ducere; ſi iis ſolis, quos pænitet Spiritus ſancti paracleti gratia obtigiſſet. Beati enim, inquit, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Quare nos pro uirili eum ſequamur, qui cæleſtia aſcendit; ſententiamque eorum, quæ commemorata ſunt, plane rurſus indagemus, ut quo luctus genere cognoſcamus, propoſita ſit nobis ſancti ſpiritus conſolatio. Atque pri-

Luctus quid sit.

primum quidem in uita hominum cõſideremus, quid ſane hic luctus eſt, quaue de cauſa contrahitur. Illud eſt igitur omnibus exploratiſſimum, luctum eſſe triſtem quandam, acerbamque animi affectionem, quæ ex alicuius rei, quæ cara ſit, priuatione concipitur. qui ſane luctus locũ non in iis habet, qui iucũde uitam traducunt; quaſi cui ſecundus eſt uitæ curſus, omnia ſibi proſpera ad uoluntatemque fluere dicuntur. coniuge is lætatur, liberorum prole gaudet, fratrum præſidio munitur; forenſi honoris ſplendore eſt inſignis, principum gratia floret, hoſtibus formidoloſus, iis, qui ſibi parent, non contemnendus, in amicis admittendis facilis, opibus circumfluit, uoluptatibus fruitur, ſuauis & iucundus omnique dolore uacuus, ualido corporis habitu. Qui hæc omnia tenet, quæ mortalium iudicio in honore pretioque eſſe putantur; hic iucundiſſimam plane uitam deget; cum harum omnium humanarum rerum lætitia uoluptateque perfruatur. Sin autem aliqua huius proſperitatis uiciſſitudo fiet, ut aut amicorũ diſſidium, aut facultatum iactura, aut optimæ corporis conſtitutioni genus febris aliquod ex malo caſu eueniat; tum remoto gaudio contrarius oſtenditur habitus, qui luctus nomine apellatur. Itaque uera eſt, quæ huiuſce rei a nobis tradita eſt definitio; luctum ſcilicet ſenſum eſſe quendam doloris, quo ex rerum nobis cariſſimarum priuatione afficimur. Si igitur rerum humanarũ luctus nobis oratio cognita eſt; ex iis quidem, quæ iam patefacta ſunt uia quædam ad illa aperiatur, quæ plane ignorantur; ut dilucide aperteque intelligatur, quid ſane ſit is luctus, cui cum adiuncta ſit conſolatio, tum etiam beatum hominem efficit. nam in hac uitæ uſura ſpoliatio diminutioque bonorum, quæ poſſidentur,

dentur, luctum parit :eius autem rei, quæ ignoratur, nemo iacturam luget. Itaque intelligere nos primum oportet, quid plane illud ſit, quod re uera bonum eſt: qua re explicata deinde naturæ humanæ cognitionem aggrediamur neceſſe eſt. ex hoc enim illud eueniet, ut luctus eius,in quo aliqua ineſt beatæ uitæ ratio,nos mu nus recte exequamur : id quod uſu iis uenit, qui in tenebris uitam agunt. Cum enim hic in caligine tenebriſque natus ſit; ille uero qui luce,quæ extrinſecus aſſumitur, frui conſueuit; ſi uiolento aliquo impetu eſt aliquem in locum concluſus, non æque utrunque rerum præſentium attingit calamitas. etenim cum alter animaduertat, qua ipſe re orbatus ſit,graue ſentit lucis damnum:alter autem quoniam huiuſmodi lucis beneficium non utique cognouit; minus in dolore uiuet: propterea quod cum in tenebris natus ſit atque educatus, pro nihilo ducit his bonis cecidiſſe. Quo fiet, ut hic, qui fruēdæ lucis deſiderio tenetur, omne ſtudium, omnem cogitationem in id conferat, ut rurſus priſtino rerum aſpectu fruatur: ille uero alter quoniam quod melius eſt, id utique perſpectum non habuit: ſi in tenebris uitā traducit, id ſibi bono eſſe iudicat. Ita profecto res ſe habet in ea, quæ propoſita eſt ſententia; is, qui illud uerum bonum aſpicere potuit; deinde miſeram hanc mortalium uitam animaduertit; hic quaſi calamitate accepta animi utique angitur, lugetque hanc uitam,quoniam non in eo plane bono uerſatur.Itaque non mæſtitiam Dominus beatam dicere uidetur, ſed boni illius cognitionem, cui adiunctus eſt animi dolor: quia in hac uita minus illud ineſt, quod ſane quæritur. Quare illud recte ſequitur,ut indagemus quæ illa omnino lux ſit; qua luce hæc tenebricoſa humanæ

Simile

uitæ quaſi ſpelunca in hoc uitæ ſpatio nõ illuminatur. An fortaſſe ad id, quod neque explicari, neque comprehendi poteſt, noſtra ſpectat cupiditas? quæ enim eiuſmodi noſtra mentis ratio eſt, ut naturã eius, quod quæritur, indagare poſſit? quæ uel uerborum uel nominum ea uis eſt, ut cæleſtis illius lucis nobis notitiam ſatis digne aperiat? quo ego nomine id dicam, quod ſub aſpectum non cadit? qua ſane ratione id explicabo, quod materia caret? quo pacto oſtendam id, quod formæ expers eſt? quo id modo comprehendam, quod nulla continetur magnitudine? quodue nec ulla qualitate, nec figura, neque loco, neque tempore definitur? quod nullo plane termino, nulla certa definitaq; cogitatione concluditur? a quo & uita eſt, & cuncta bona exiſtunt? in quo alta omnis & mens & nomen conſideratur? diuinitas, regnum, potentia, æternitas, incorrupta uis, gaudium, exultatio, omneque denique quod alte uel intelligi, uel dici poteſt. Ergo qua ratione fieri poteſt, ut tam excellens bonum cerni queat, quod mente capitur, neque oculis cernitur? quod omnibus rebus uim ac naturam tribuit, ipſumque perpetuo eſt, neque eo indiget ut exiſtat? Sed ut ne in iis, quæ comprehendi mente nequeunt, fruſtra lõgius ducta noſtra elaboret oratio; cæleſtium nos bonorum naturam quaſi difficilẽ illam quidem, quæ a nobis explicetur, accurate perquirere deſinamus. Illud ex iis, quæ quæſita ſunt, nos tantum adepti, quod cum, quæ indagauimus, perſpicere nos ea minus potuerimus, incredibilem illarum ipſarum rerũ, quas quæſiuimus, magnitudinem animo menteque reputemus. Quo autem ſublimius, præſtantiusque illud eſſe credimus, quam ut a nobis intelligi poſſit: hoc magis atque magis dolorem

noſtrum

nostrum augeamus, quod tale tamque excellens id bonum est, a quo ita nos disiuncti sumus, ut ne cognitionem quidem eius capere possimus. Certe bonum eiusmodi, quod nostram omnem superat mentis uim, est aliquando communicatum nobiscum, qui homines sumus: in naturaque nostra tale inerat bonum id, quod omnem excedit mentis ratione͂, ut alterum illud humanum ad exemplaris imaginem accurata diligentique imitatione expressum uideretur. nam de illo quæcunque in præsentia mente tenemus, hæc in homine omnia inerant; incorrupta scilicet natura, beatæ uitæ status, libera solutaque omni nexu potestas, uita nullis negotiis implicata, ac doloris expers, in rebus diuinis uitæ nostræ consuetudo, huiusmodique tam excellentis boni ea contemplatio, ut mente a nobis fieret pura; integra, ac nullis plane integumentis inuoluta. nam cuncta hæc paucis sane uerbis occulte illa ostendit, quæ est de origine mundi oratio; in qua scriptum est, ad imaginem Dei creatum esse hominem, in paradiso eum uitam agere, quæue eo loci sata essent, illis omnino frui. earum autem arborum fructus est, uita, scientia, atque cetera id genus eiusmodi, quæ nobis plane inerant. Quid causæ igitur est, cur is, qui miseram hanc uitam cum beatissimo illo uitæ statu comparat, calamitatem lugere non debeat? quod sublime fuit; id iam depressum; quod ad eius qui cælestis est, imaginem expressum, in terram id plane delapsum; cui decretum fuit regnum, idipsum in seruitute͂ redactum; quod ad immortalitate͂ factu͂, hoc in interitum occidit; quod in paradisi habitauit deliciis, in pestiferam hanc regione͂ laboribusque plenam commigrauit; quod nullis assuetum erat morbis ac perturbationibus, uitam

 hanc

hanc assumpsit, quæ tum mortalis est, tum omnibus referta morbis; quod sui iuris fuit, nulliq; potestati subiectum, iam id denique tam multis atque adeo grauibus malis quasi uinculis obstrictum tenetur, ut difficile admodum sit enumerare eos, quorum iniquæ potestati subiecti simus. Siquidem singuli, qui in nobis ingenerati sunt affectus, cum eorum uis superat, tum domini ii quidem illius fiunt, qui eorum potestati parent: atque illorum quisque quasi tyrãnus aliquis arce animi occupata, male eos uexat, quos inuadit; nostris cogitationibus quasi administris satellitibusque cũ ad id abutatur, quo eorum cuiusque uis aliquem impellit. Sic ira, sic metus, ignauia, audacia, dolor, uoluptas, odium, amor, inhumanitas, sæuitia, inuidia, assentatio, ulciscendi libido, doloris uacuitas, & omnes denique qui contrarii iis intelliguntur in nobis inesse affectus, tyranni illi quidem ac domini habentur, qui sua potestate ac ui animum nostrum quasi in seruitutem abducant. Sin autem aliquis eas etiam, quæ naturæ nostræ implicatæ una aluntur, corporis calamitates ratione lustrauerit, uaria scilicet ac multiplicia morborum genera, quorum sane omnium ab initio expers fuit genus humanum: hic multo maiorem lacrymarum uim profundet, cum iucunda tristibus, & malis bona comparauerit. Quare is qui luctum hunc quambeatissimum esse dicit, hoc subobscure ostendere uidetur, ut ad id, quod uerum est, bonum animus spectet, neue huiusce uitæ fraudibus obruatur. etenim qui rem omnem accurate considerat, non potest is arbitrari se posse absq; dolore luctuque uiuere: neque qui huius uitæ uoluptatibus totum se dedit existimare hic potest, se in rebus molestis minus uersari. id quod in bestiis animaduer-

tere licet, quibus miserabilis illa est attributa natura: nam quid miserabilius esse potest, quam ratione carere? cum illæ scilicet nullum calamitatis sensum plane habeant, sed cum quadam potius uoluptate uitam traducant. Equus superbit, taurus pedibus excitat puluerem, sus setas erigit, catuli ludunt, saltant uituli; ac singulas denique bestias spectare licet, quæ certis quibusdam signis uoluptatem præ se ferunt. quæ quidem bestiæ, si quale sit rationis officium intelligerẽt, non in uoluptate caducam illam suam uitam laborumque plenam ponerent. Hoc idem euenit hominibus, qui cum nullam bonorum, quibus natura nostra orbata est, cognitionem teneant; in huius uitæ uoluptatibus omnino uersantur. Qui uero harum rerum uoluptate tenentur; illud consequens est, ut ii non indagent ea, quæ meliora sunt. quiue minime quærunt, ii profecto non inueniunt, quod quærentibus dumtaxat obtingere solet. Quare luctum Dominus beatum dicit, non quia eum per se talem esse iudicet, sed propter illud quidem ipsum, quod ab eo proficiscitur. Verba autem, quæ adiuncta sequuntur, id propterea luctum beatum ostendunt, quoniam is ad consolationem accipiẽdam maxime adiuuat. Beati enim, inquit Dominus, qui lugent; neque in hoc orationẽ continuit, sed illud adiunxit, quoniam ipsi consolationẽ accipient. Hoc ipsum cum magnus Moses præuiderit; uel potius is, qui Mose ministro usus talia statuit; mysticis Paschæ præceptis tradendis, panem quidem fermenti expertem ipsis festis diebus præscripsisse, lactucarumque agrestium obsonium constituisse uidetur: ut ex iis uerborum cognoscamus obscuris significationibus, mystici illius festi diei participes nõ aliter esse nos posse, nisi huius uitæ acer-

acerbitates quaſi agreſtes lactucæ ultro permiſceantur cum ſincera illa uita, quæ fermento caret. eamque ob cauſam ſummus etiam uir Dauid, quamuis ſummum humanæ felicitatis gradum, nempe regnum ſe obtinere cerneret; harum tamen ſilueſtrium lactucarum copiam uitæ ſuæ affert, cum & lamentabili uoce deploret, lugeatque huius uitæ terminum longius ſibi produci; & præ rerum maiorum cupiditate ſæpe deficiat. modo enim ait; Væ mihi quoniã incolatus meus prolongatus eſt. alio autẽ loco cum diuinorum tabernaculorum attente aſpiceret pulchritudinem; præ deſiderio quodam ſe deficere ait; illudque ſibi potius eſſe iudicat, in poſtremis illic eſſe, quã in his humanis rebus tenere primas. Verum ſi quis huius beatiſſimi luctus uim accuratius conſiderare uelit, id plane animaduertat, quod & de Lazaro, & diuite homine commemoratur: in qua quidem cõmemoratione eiuſmodi præceptum dilucidius explicatur. nam recordare (ita enim diuitem Abrahamus alloquitur) quod recepiſti bona tua in uita tua; & Lazarus ſimiliter mala: iccirco nunc hic conſolationem habet, tu uero cruciaris. Hoc enim conſentaneum eſt; ſiquidem temeritas noſtra, uel potius malum conſilium a Dei cura, quam ille generis humani habet, nos abduxit. Etenim cum ſimplex quoddam bonum, ab omnique malo uacuum, ille nobis ad fruendum propoſuiſſet, uetuiſſetque ne cum bono mali confunderetur uſus; quoniam præ auiditate nos contraria re ipſi expleuimus, diuinæ inquam uoluntatis contemptum deguſtauimus: hanc ob cauſam hominum genus in hac utraque re omnino uerſetur oportet, ut modo dolorem, modo lætitiam ſentiat. Sed cum duplex ſit uitæ tempus, atque duplex in utroque

tem-

tempore uitæ ratio, duplex æque lætitia eſt; una quidem, quæ ad hoc uitæ tempus pertinet, altera ex iis conſtat, quæ nobis ad ſperandum propoſita ſunt: bene quidem cum eo agitur, qui eam letitiæ partem, quæ ex ueris bonis capitur, in ſempiternum illud uitæ tempus ſibi reiicit; in hacque uel breuiſſima mortalique uita partes explet doloris: neque fraudi ſibi eſſe putat, ſi quibuſdam rebus, quæ in hac uita iucundæ ſunt, priuatus eſt: ſed quoniam his rebus fruitur, rerum meliorum iacturam facere arbitratur. Quare ſi quambeatiſſimum eſt, ſæculis illis ſempiternis immortale habere gaudium, quod in perpetuum producitur; hominumque genus dolorem plane ſentiat neceſſe eſt: non amplius certe difficile eſt Domini ſententiam cognoſcere, quare beatos eos dicat, qui lugent; quoniã ſempiternam ſcilicet conſolationem capient. quæ quidem conſolatio a paracleti conſuetudine familiari proficiſcitur. ſiquidem propria ſancti ſpiritus actio in eo eſt, ut conſolationem præbeat: qua nos digni habiti ſumus benignitate gratiaque Ieſu Chriſti Domini noſtri, cui gloria lausque in perpetuum. Amen.

CONCIO IIII.

Beati qui eſuriunt, ac ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur.

QVI ex ſtómacho laborant, cibosque faſtidiunt; cum mali quidam humores in ſuperiorem illorum uentrem cofluant; uideri hos ſibi ſemper expletos eſſe, ac ſaturatos, tradunt ii, qui medicinæ tenent ſcientiam: propterea que illos aiunt utile reiicere nutrimentum, quoniam

niam falſa quadam ſatietate naturalis eorum tabeſcit appetitus. Sin autem ex medicinæ uſu illis aliqua affer tur curatio, ut aliquo acri ſcilicet medicamento adhibito ea expurgentur, quæ concauos ſtomachi locos op plent: hoc pacto fit, ut quod alienum eſt atque contrarium, cum id non amplius naturam perturbet; illorum appetitus ad eum excitetur cibum, qui nutriendi uim habet: commodæque ualetudinis hoc ſignum eſſe uolunt, quod non inuiti amplius, neque coacti, ſed auidi atque maxime appetentes ad cibum capiendum accedunt. Hæc igitur mei exordii ratio quorſum attinet? quoniã ad ſublimiores beatæ uitæ gradus ordine progrediens nos perducit Dominus, qui ut apud prophetam ſcriptum eſt, honeſtas in corde noſtro aſcenſiones diſpoſuit; is poſt illos, quos ſupra oſtendit, aſcendendi gradus, hanc quartam aliam aſcenſus rationem demonſtrat iis uerbis: Beati qui eſuriunt, ac ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Equidem recte cum iis agi arbitror, qui multa illa animi ſatietate expleta beatiſſimã huius cibi & potionis appetitionem, quoad eius fieri poteſt, ſibi comparant. Neque enim fieri poteſt, ut homo recte ualeat; niſi cibus, qui ad nutriẽdum ſatis ſit, uires ſuſtentat; neque ut cibo expleatur, ſi minus ille comedit; neque ut nutriatur, ſi appetitu caret. Itaque quoniam in hac uita robur eſt in corporis bonis; idque ſatietate, quæ ſatis commoda ſit, conſeruatur; ſatietas autem a cibo exiſtit, cibuſque ab appetitu; iis certe, qui uiunt, beatiſſima res eſt appetitus, utpote a quo naturalis noſtri roboris initium cauſaque exiſtat. Sed quemadmodum in hoc corporis cibo non eadem omnes appetunt; ſed ut ciborum genus eſt, ita coniuarum diuerſa eſt appetitio; ut unus quidem dul-

cibus

cibus delectetur, alius res acres, & quæ calefaciendi uim habent, appetat; alius salsis rebus; alius iis rebus, quæ ad astringendum ualent, cum uoluptate uescatur: sæpeque fit, ut quæ cuique minus expedit, hæc sibi innascatur cibi appetitio. Siquidem propria aliqua corporis constitutione aliquis est, ut ad malũ aliquod procliuis sit: hic morbum alit illis cibis, quorum qualitas aliena est: sin autẽ ad ea, quæ salutaria sunt atque utilia, trahitur appetitus, integra plane ualetudine ille utetur; cum optimũ corporis habitum ei conseruet ciborum delectus. Eodem etiã modo in animi cibo nõ omnium eodẽ referuntur appetitiones. nam alii gloriã, aut opes, aut dignitatum splendorem expetunt; alii tempestiuis conuiuiis delectantur; nõnulli inuidiam quasi cibũ ueneni plenum auide sumunt: pleriq; uero sunt, qui ad id, quod natura honestum est, cupitate ducũtur. Illud autem natura honestum est, quod perpetuo tale est; quodque non propter aliud, sed propter se est expetendum; cumque eodem se modo semper habeat, nulla satietate labefactatur. iccirco beatos Dominus dicit non simpliciter eos, qui esuriunt; sed illos, quorum cupiditas ad ueram iustitiam propensa fertur. Ergo quid est iustitia? hoc enim primum oratione explicandum arbitror, ut cum eius pulchritudo perspecta sit, hoc pacto ad rei conspectæ formam nostra excitetur cupiditas. quoniam fieri non potest, ut eius rei, cuius species nulla apparet, cupiditate aliquis afficiatur; sed languescit quodammodo nostra natura, neque impellitur ad id, quod plane ignorat; nisi uel aurium, uel oculorum sensu id ipsum percipiat, quod sane expetitur. Quare qui res eiusmodi diligenter indagarunt, hi quidẽ iustitiam esse dicunt habitum quendã, qui pro dignitate

cuique tribuit, quod tribui æquum eſt. Exempli cauſa, aliquis, qui pecuniæ largiendæ diſtribuendæue poteſtatem habet, cum id quod æquum eſt, animaduertat, quodue accipientium uſui conuenit, ad id largitionem accommodet, hic iuſtus appellatur. atque ſi quis iudicandi poteſtate præditus, neque gratia, neque odio motus ſententiam fert, ſed cauſarum naturam ſecutus, eos, qui ſupplicio digni ſunt, damnat; innocentes uero plane abſoluit; ac de ceteris item controuerſiis uere ſtatuit, is etiam iuſtus dicitur. Qui ſubiectis quoque populis tributum imperat, idque tale imponit, quod illorum facultatibus æque conueniat. pater item familias, & ciuitatis princeps, & gentium rex; hi ſinguli ſi congruenter rationi recteque illis imperant, qui ſuæ poteſtati ſubiecti parent; neque ex illa poteſtate ſubito quodam impetu mouentur; ſed recta ratione illis ius dicunt, atque ad ſententiam eorum, qui parent, conſilia accommodant: hæc omnia iuſtitiæ definitioni tribunt ii, qui eiuſmodi habitu id, quod iuſtum eſt, definiendo explicant. Ego uero, qui diuinæ legum conſtitutionis altitudinem contemplor, hoc iuſtitiæ nomine aliquid plus, quam ea, quæ commemorata ſunt, comprehendi animaduerto. Nam ſi ad omne hominum genus ſalutaris hæc oratio pertinet; neque cuiuſuis tamen eſt hominis in illis, quæ propoſita ſunt, muneribus obeundis uerſari; ſiquidem paucorum eſt imperare, præeſſe, ius dicere, pecunias habere, aut alias res diſpenſare: homines uero maximam partem tales ſunt, qui ſubiecti aliorum imperio poteſtateue tenentur. Quo igitur modo demonſtraret aliquis iuſtitiam ueram illam eſſe, quæ non omnibus æque propoſita eſt? Si enim, ut externis philoſophorum diſci-

ſciplinis traditur, æqualitatis ratio eſt iuſtitiæ propoſita: id autem, quod præſtat, inæqualitatem in ſe habet, non poteſt, quæ tradita eſt, iuſtitiæ definitio uera putari: quoniam hac inæquali uitæ condicione ſtatim refellitur. Quare quæ iuſtitia illa eſt, quæ ad omnes pertinet, cuiuſue cupiditas communis propoſita eſt omnibus, qui euangelii menſam ſibi ob oculos ponunt? Siue diues aliquis ſit, ſiue pauper, ſiue dominus, ſiue ſeruus, ſiue ingenuus, ſiue libertinus; cum nullus fortunæ ſtatus neque augeat, neque imminuat iuſtitiæ rationem. Si enim in eo ſolum, qui poteſtate præſtat, atque alia re excellit, hoc iuſti nomen poneretur: quo modo iuſtus Lazarus, qui ad oſtium diuitis abiectus, nullam eiuſmodi iuſtitiæ materiam habuit? non imperium, non poteſtatem, non domum, non menſam, neque aliud tale in uita ſibi ille comparauit, quo eiuſmodi iuſtitiæ munus exequi poſſet. Nam ſi uel in imperando, uel in tribuẽdo, uel in aliqua omnino re gubernanda iuſtitiæ munus poſitum eſt, longe is abeſt, ut iuſtus ſit, qui in earum rerũ adminiſtratione non uerſatur. Ergo quo modo is, qui res eiuſmodi nullas habuit, quibus iuſtitiæ ratio ex uulgi opinione deſcribitur, requiete dignus habitus eſt? Itaque illa iuſtitia eſt a nobis quærenda, quam qui expetierit, ei requies promiſſa eſt: Beati enim, inquit, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Cum multa uariaque ad uſum propoſita ſint, ad quæ maxime hominum appetendi uis trahitur, multa nobis cognitione opus eſt, ut in cibis eiuſmodi diiudicemus, qui eſui apti ſint, quiue contra noceant; ut ne quod ab animo pro cibo capi uidetur, mortem pro uita ac tabem nobis efficeret. Sed fortaſſe non alienum eſt qui-

busdam aliis rebus, quæ ex euangelio petuntur, huius ipsius rei sentētiam explicare. Is, qui, peccato excepto, omnia nobiscum communia habuit; laborumq; & incommodorum nostrorum particeps fuit; famem peccatum nō iudicauit, neque huius incommodi periculum facere recusauit; sed naturalem quandam cibi appetendi uim ostendit. Cum enim quadraginta dies ieiunus fuisset, postea esuriit. Siquidem cum uoluit, occasionem naturæ dedit, ut suo fungeretur munere. At tentationum auctor cum illum etiam esurire animaduertit, id ei suasit, ut lapidibus appetitū exciperet. hoc autem est a naturali cibo appetitionem auocare ad ea, quæ a natura abhorrent. Dic enim ut lapides isti, inquit, panes fiāt. Quid peccati agricultura admisit? cur semina reiecta sunt, ut eorum cibus in nullo sit pretio? cur summi opificis dānatur sapientia? quasi nō iis, quibus oportet, frugibus hominum genus alat. Etenim si lapis ad uictum accommodatior iam uidetur, certe a prouidentia & a cura, quā Deus ad hominum uitam sustentandā habet, aberrauit eius sapiētia. Dic ut lapides panes fiant. Iam hæc ipsa dicit iis qui a suo attentantur habitu; sæpeq; dicendo suadet, ut qui eū intuentur, panem ex lapidibus conficiant. nam cum eos, qui ad necessarium usum pertinent, fines transilit appetitio; hoc quid aliud est, quam consilium diaboli, qui frumenti cibum reiicit, appetitionemque ad ea excitat, a quibus est aliena plane natura? Lapidibus ii uescuntur, qui auaritiæ panem apponū t; quiue sibi ex rebus male partis opulentas & copiosas struunt mensas, quarum apparatus est pompa quædam rebus ad uitæ usum minime necessariis exquisita, quæ uulgi admirationem commoueat. nam cum necessario naturæ usu commune

quid

quid habet grauis quædam proposita auri atque argen ti uis & copia, quæ ad cibum plane non pertinet? famis affectus quid est, nisi rei necessariæ appetitio? etenim spiritus ui dissipata, id, cui deest, conuenienti quodam rursus repletur additamento. Panis uero aut alius aliquis cibus eiusmodi est, quem natura appetit. Itaque si loco panis aurum aliquis ori admouet, an hic necessitati remedium afferet? Ergo cum pro cibis quispiam eas res quærit, quæ ad escam non pertinent; in lapidibus is plane uersatur; utpote cum aliud natura postulet, in alia tamen re ipse operam ponat. Natura, quæ fame afficitur, quasi uocē emittens, se in præsentia cibi egere clamat; oportereque proptera rursus corpori id inferre, quod spiritus uis dissipauerit. Tu uero naturam non exaudis; quoniam non ei das, quod ipsa petit; sed curam in eo ponis, ut in mensa maximam uim habeas argenti; uascularíosque & cælatores quæris, atque imaginum, quæ argento cælentur, historiam accurate inuestigas; ut & affectus & mores accurata quadā sculptura expressi in iis cōspiciantur; ut armati homi nis animi spectentur, cum gladiū is feriendi causa strin git: uulneratiq; cruciatus cernatur, cū is mærenti abiectoque animo uidetur habitu ipso plorare ac gemere; uenantisque impetus, & feræ immanitas sculpta aspiciatur, & quæcunque alia sunt, quæ homines rerum inanium cupidi studiose in iis exquirunt, quæ ad mensam pertinent. Panem natura postulat, tu pretiosas mensas, pelues, crateras, amphoras, atque alia sexcenta eleganter paras; quæ cum earum rerum, quæ natura expetūtur, usu nihil habent omnino cōmune. An non ex iis, quæ ipse facis, aperte cognoscis te illi parere, qui lapidis cibum tibi suadet? Quid? si quis fœda huius lapidei

pidei cibi ſpectacula alia,& turpes ſermones cõmemoret, quibus ad ea, que ordine ſequuntur,uitia ſibi aditum homines ii aperiunt, qui rebus ad intẽperantiæ incitamentum pertinentibus cibum condiunt? Hoc de eiuſmodi cibo conſiliũ aduerſarii plane eſt; talia enim ille præcipit, cũ pro pane,qui cibus nobis præſcriptus eſt, lapidem ſuadeat. Sed is, qui tentationum euerſor eſt, famem a naturæ finibus non repellit, quaſi eam, a qua malorum cauſa exiſtat: ſed ſuperuacaneam hanc diligentiã, quæ aduerſarii conſilio in uitæ noſtræ uſum introducta eſt, cum ipſe abiecerit, naturã permiſit ſuis finibus teneri ac gubernari.Sicut qui uinum colant,nõ propter fæces quæ in eo mixtæ inſunt,illius uſum aſpernantur; ſed colo cum ſuperuacanea ſecernãt, puri uini uſum retinent: ſic Dominus res a natura abhorrentes cum diſtingueret, ſubtili quadam contemplatione famem non repulit, utpote quæ uitæ noſtræ cõſeruatrix eſt: ſed ſuperuacaneas curas, quæ huic uitæ uſui implicatæ ſunt,eas omnino repulit atque abiecit: cum eum cibum, qui uerbo Dei ad naturam accommodatus eſt, panem eſſe dicat. Itaque ſi Ieſus eſuriit, res certe beatiſſima eſt fames, quæ ad illius imitationem nobis innaſcitur. Si igitur nos id cognoſcimus, quod eſuriit Dominus; huius etiam beatitudinis, quæ nobis iam propoſita eſt,uim omnino ſentiemus.Qualis igitur ſit is cibus, quem appetere Dominũ non pudet; in eo ſermone, quem cum Samaritana muliere habuit, oſtẽdit his uerbis; Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem patris mei. perſpicuum autem eſt, patrem meum id maxime uelle,ut ſalui fiant omnes homines; ueritatemque cuncti plane cognoſcant. Itaque ſi noſtrã ſalutem ille expetit; uitaque noſtra ei cibus eſt; iam didicimus ad quem

usum spectare debet hæc animi nostri uoluntas. Quid igitur hoc est? ut nostram scilicet salutem nos expetamus; cupiamusque in primis Dei obsequi uoluntati, quæ in eo sita est, ut salui nos efficiamur. qua itaque ratione hoc recte præstare possimus, iam e beatitudine cognouimus. qui enim Dei iustitiam expetiuit, is illud inuenit, quod re uera appetendum est; cuius cupiditatem expleuit non uno aliquo modo, qui appetitione perficitur: non enim solum iusti societatem tanquã cibum expetiuit: quoniam semiperfecta esset, si in hac sola affectione uersaretur appetendi uis. nunc autẽ hoc bonum tale effecit, quod potui etiam esset aptum; ut sitis affectu flagrantem ostenderet cupiditatem. Nam cum sitimus, aridi quodammodo atque ardentes sumus; ideo potum quasi huiusce affectionis remedium cum uoluptate sumimus. Itaque quoniam genere ipso una est & cibi & potionis appetitio; sed ad horum utrunq; distincta est affectio; ut summã ad hoc bonum, cupiditatem nobis Dominus præscriberet; beatos dicit eos, qui duobus his affectibus, & fame & siti ad iustitiam mouentur: quasi id, quod expetitur, idoneũ sit, quod æque utrique accommodetur appetitioni; ut esurienti quidem cibus; ei uero, qui gratiæ siti trahitur, sit potus. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniã ipsi saturabuntur. Ergo Dei iustitiam expetere, hoc beatissimum est. Sin autem aliquis aut temperantiæ, aut prudentiæ, aut sapientiæ, aut alius cuiusdam item uirtutis cupiditate tenetur; an hunc Dominus beatum iudicat? Sed hoc, quod dicitur, fortasse aliquid eiusmodi significat; res enim una, quæ uirtutis nomine continetur, iustitia est. Sæpe in sacris litteris id usitatum est, ut patris mentione facta uniuer

sum

ſum comprehendatur.uerbi cauſa cum diuinam naturam aliquo nomine demonſtrat. nam ex perſona Domini propheta inquit: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum æternum: & memoriale generationibus. & rurſus alio loco ait: Ego ſum, qui ſum. & alibi: Miſericors ſum: atque ſexcentis aliis nominibus, quæ excelſum aliquid, quod Deo conueniens ſit, ſingificant; Deum ſacræ litteræ appellare ſolent: ut ex iis diligenter cognoſcamus, ſi unum aliquod Dei nomen ſacris litteris expreſſum ſit, omnem illam nominum enumerationem una cum eo tacite dici ac ſignificari. Fieri enim non poteſt, ut reliqua non contineantur in eo, cum appellatur Dominus. quin potius uno expreſſo nomine cuncta alia dicuntur. Itaque in diuinarum litterarum conſuetudine illud poſitum eſſe ex iis cognouimus, ut in aliqua parte multæ contineantur partes. hoc igitur loco cum Dominus iuſtitiam iis proponi dicat, qui beatam uitam expetunt; hoc iuſtitiæ nomine omne uirtutis genus ſignificat: ut æque beatus ſit etiam is, qui prudentiam, fortitudinem, & temperantiam colit; ſiue quid aliud, quod ipſo uirtutis nomine comprehenditur. nam uirtus aliqua, quæ cum ceteris uirtutibus non connectitur, ipſa per ſe perfecta eſſe non poteſt. qua enim in re non aliquid una conſideratur, quod uirtutis nomine intelligitur, in ea res contraria locum habeat omnino neceſſe eſt. Temperantiæ oppoſita repugnat intemperantia; prudentiæ ſtultitia: & omni denique rei, quæ ad bonum ſpectare putatur, eſt aliquid omnino, quod ei repugnare intelligitur. Quamobrem niſi cuncta ſimul iuſtitiæ nomine intelligerentur; difficile ſane eſſet, quod reliquum eſt, id bonum eſſe. non enim iuſtitiam aut imprudentem,

tem,aut audacem, aut intemperantem aliquis dixerit; aut alio aliquo nomine appellauerit, quod ad uitium pertineat. Si igitur omnis rei peſſimæ expers eſt iuſtitiæ ratio: omne in ſe bonum plane continet. quod uero cunque de uirtute intelligitur, id omne bonum eſt. Ergo uirtus omnis hoc loco iuſtitiæ nomine demonſtratur: quam iuſtitiam qui & eſuriunt, & ſitiunt, eos Dominus beatos dicit; cum eorum, quæ expetuntur, ſatietatem ipſis promittat. Beati enim, inquit, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. Hæc autem uerba ſententiam eiuſmodi continere mihi uidentur: nullas eas res, quæ ob uoluptatem expetuntur, ſatietatem iis afferre, qui illarum appetitione ducuntur; ſed ſtudium, quod in uoluptatibus ponitur, eſſe; ut quodam loco Sapientiæ uerbis proditum eſt, uelut dolium perforatum: quo ſedulo ſemper cum infundant ii, qui eo ſtudio tenentur, infinitum quidem atque inutilem oſtendunt laborem; utpote cum in appetitionis profundũ aliquid ſemper infundant; quodq; ad uoluptatẽ pertineat, id aſſidue adiiciant, cupiditatem hi nunquam explent. Quotusquiſq; eſt, qui norit auaritiæ fines ex eo, quod auaris acceſſio facta eſt eius rei, cuius auidi atque appetentes erant? Quis gloriæ cupidus ea quærere deſtitit, quæ in optatis habuit? Qui uero uel auditionibus, uel ſpectaculis, uel inſanis iis rebus, quæ ad uentrem pertinent, uoluptatem expleuit? quid is inuenit, quod ex hac ipſa uoluptate ſibi obtigerit? an non omne, quod corpore expletur, uoluptatis genus, ſimul ac acceſſit, cito abit, cum uel breuiſſimum quidem tempus permaneat in iis, qui illam perceperint? Itaque illud a Domino diuinum præceptum nos cognoſcimus, quod in ſola uirtute ſtudium

a nobis ponitur, id ſolidum eſſe, ac plane firmum. nam qui rerum magnarum atque ſublimium perfecto functus eſt munere, ueluti temperantiæ, aut modeſtiæ, aut religionis erga Deum, aut alia euangelica diuinaque præcepta recte coluit: hic a ſingulis illis rebus, quarum munus recte executus eſt, lætitiam capit, non fluxam illam quidem & caducam, ſed firmam ac perennem, quæ uel in omne uitæ tempus producitur. Quid cauſæ eſt? quoniam hæc quidem ſemper agere licet; neque ullum eſt temporis momentum, quod in omni uitæ ſpatio optimarum actionum afferat ſatietatem. Etenim dum aliquis uirtutem ſibi proponit; is continentiam, integritatem, in omnique bono conſtantiam colit, uitiumque declinat; unaque cum illa uirtutum actione iunctam habet lætitiam ſempiternam. Qui uero cupiditatibus ardent, quæ rationi minime conueniunt; eorum animus etſi ad libidinem aſſidue ſpectat, gaudere tamen illi non poſſunt. cibi enim immoderata auiditas ſatietate reprimitur, & potantis uoluptas una cum ſiti extinguitur: eodemque modo cetera aliquo temporis interuallo egent, ut quæ præ uoluptate langueſcit, rurſus rei illius ſuauis excitetur appetitio. At uirtus ubi ſemel quibuſdam infixa hæſerit, non temporis modo finitur, neque ſatietate terminatur; ſed integrum & recentem acremque bonorum ſuorum, ſenſum illis ſemper præbet, qui eius rationi conuenienter uiuunt. Itaque Dominus affirmat, eos, qui illam eſuriunt, ſatietate expletum iri, non quæ appetitionem debilitet, ſed quæ magis accendat. Quod igitur in ſummo contemplationum monte Dominus diſſerendo nos docet, illud ſane eſt, ut cupiditatis noſtræ uim ad nullas res eiuſmodi adiun

gamus

gamus, quarum nullus finis propositus est iis, qui illas concupiscunt; cum eorum studium inane sit, neque plane utile. id quod iis euenit, qui umbræ suæ uerticem cursu assequi contendunt; quorum cursus in infinitum fertur; cum id, quod illi persequuntur, celeriter eo elabatur, quo insequentium cursus festinat. Sed cupiditatem ad eas res adiungamus, in quibus studio adhibito certa expetenti paratur possessio. nam qui uirtutis cupiditate affectus est, possessionem sibi certam comparat, quoniam in id incumbit, quod sibi bono est. Itaque bene cum eo est, qui continentiæ studio tenetur, quoniam integritatis plenus erit. hæc uero expletio, ut dictum est, non fastidium, sed uehementem appetitionis uim affert; & utrunque æque inuicem augetur. nā cum uirtutis cupiditatem possessio consequatur rei, quæ expetitur; tum bonum illud, quod obtigit, immortale animo gaudium peperit. quoniam boni huius natura eiusmodi est, ut non in præsentia modo eum, qui illius fructum capit, delectet; sed omni tēpore maximam illi præbeat lætitiam. nam recte factorum conscientia, beneque actæ uitæ recordatio gaudium ei gignit, qui recte egit: honestaq; præsentis uitæ ratio, atque remunerationis item spes delectat: quam aliam quidem nullam esse duco, quam ipsam uirtutem: in qua cum actio uersetur eorum, qui bene agunt; tum præmium illis proponitur, qui recte egerunt. Verum si audacter aliquid dici oportet; fortasse, mihi uidetur Dominus, facta uirtutis & iustitiæ mentione, eorum, qui audiunt, appetitioni seipsum proponere; qui factus est nobis sapientia Dei, iustitia, sanctificatio, & redemptio; quinetiam panis, qui de cælo descendit, & aqua uiuens; quam Dauid, cum beatis-

ſimum hunc animi affectum Deo præ ſe ferret, admodum ſitire ſe oſtendit his pſalmi uerbis; Sitiuit anima mea ad Deum fontem uiuum: quando ueniam, & apparebo ante faciem Dei. Qui Dauid ſpiritus uirtute inſtructus magna hæc & diuina præcepta, eiuſmodique appetitionis ſatietatem prædixiſſe uidetur. Ego enim, inquit, in iuſtitia apparebo conſpectui tuo: ſatiabor cum apparuerit gloria tua. Hæc igitur, meo quidem iudicio, uera uirtus eſt, bonum ſcilicet illud, quod mali expers eſt, in quoue omnis earum rerum, quæ ad bonum ſpectant, contemplatio continetur. ipſe Dei ſermo uirtus eſt, quæ cælos aperuit, ut Ambacum exponit. Atque optimo quidem iure qui hãc Dei iuſtitiam eſuriunt; hi in beatis numerantur. nam re uera qui Dominum, ut in pſalmis dicitur, deguſtauit; hoc eſt in ſeſe Deum recepit; hic expletur eo, quod & eſuriuit, & ſitiuit, quemadmodum ab eo promiſſum eſt, qui dixit; Ego & pater ueniemus, & manſionem apud eum faciemus, ſpiritu ſancto uidelicet prius habitante. Eodem modo magnus item ille Paulus, qui reconditos illos paradiſi fructus guſtauit, tum iis rebus, quas deguſtarat, ſatiatus eſſe, tum ſemper eſurire uidetur. etenim ſe expletum eo eſſe, quod appetebat, oſtendit his uerbis, Viuit autem in me Chriſtus. quaſique eſuriens, ultra progreditur, cum ait: Non quod iam apprehenderim, aut iam perfectus ſim, ſequor autem, ſi etiam comprehendam. Detur enim nobis, ut arbitratu noſtro aliquid exempli cauſa eſſe dicamus, quod minus in rerum natura habeatur. Vt igitur in cibo, qui ſub guſtatum cadit, ſi nihil, quod ad alendũ capitur, tanquam ſuperuacaneum abiiceretur, ſed id omne aſſumeretur, ut corporis procreati acceſſio fiat; in multam altitudi-

nem

nem corpora sese tollerent; cum cibus quotidianus satis per se augeret magnitudinem: sic iustitia uirtusque omnis illi adiuncta quoniam ueluti mentis esca comesa non eiicitur; altius per se tollit semper illos, qui ea præditi sunt, utpote cum ipsius frequens accessio magnitudinem amplificet. Quare si fames illa, quæ beatum hominem efficit, est nobis cognita, omni superuacaneo eiecto uitio, iustitiam Dei appetamus, ut eius satietate expleamur, auctore Christo Iesu Domino nostro, cui gloria ac potentia in sempiterna sæcula. Amen.

CONCIO V.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

FORTASSE, cum Iacob scalã, quæ a terra ad summum cælum pertineret; Deumq; ei innixum per quietem uidisset; hoc quod uisione ea oblata obscure ille cognouit, aliquid eiusmodi est, quod in præsentia quidem ea, quæ de beatæ uitæ rationibus traditur, disciplina nobis præstat; cum illos, qui per eius gradus ascendunt, ad ea, quæ sublimiora sunt, contemplanda altius euehat. nam scalæ specie in somnis oblata, illam patriarchæ formam uiuendi præscriptam censeo, quæ uirtuti maxime conueniret: ut & ipse cognosceret, & posteris traderet, nõ ullo alio modo fieri posse, ut ad Dei contemplationem sese aliquis erigat, nisi, quæ cælestia sunt, ad ea ipsa assidue cõtueatur, rerumque sublimium perpetua cupiditate ducatur: ut non satis illi sit, in iis, quæ

iam

iam recte egerit, permanere; sed fraudi sibi esse putet, nisi quæ cælestia sunt, ea assequatur. Atque hoc quidem loco beatitudinum, quæ inuicem sibi cohærent, altitudo effecit, ut ad Deum ipsum, qui uere beatus est omnique beatitudine firmatus, proxime accedamus. nam omnino ut sapientiæ studio ad sapientem, & & integritatis ope ad integrum uirum nos conferimus: sic adhibitis beatæ uitæ rationibus cum eo conciliamur, qui beatus est. Etenim Dei uel maxime propria est beatæ uitæ ratio: id propterea eiusmodi item scalæ Deum innixum esse Iacob narrauit. Itaque cum aliquis beatitudinum particeps fit, hoc nihil aliud est, nisi illa diuinitatis cõmunio ac societas, ad quam ineundam Dominus his uerbis aditum nobis uiamque aperit. Igitur in hac, quæ ordine proposita est beatæ uitæ ratione explicanda uidetur mihi Dominus eum quodammodo Deum efficere, qui hæc uerba & audit & intelligit: Beati enim, inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Ego multis sacrarum litterarum locis, Dei potestatem misericordis nomine a sanctis uiris appellari scio. sic in psalmis Dauid, sic in prophetia sua Ionas, sic multis legis locis magnus Moses Deum nominat. Ergo si misericordis nomen Deo maxime accommodatum est; quid aliud est, ad quod Dominus te uocat, nisi ut cum propriam diuinitatis formam susceperis, Deus ipse efficiaris? nam si diuinis litteris misericors appellatur Deus, resque uere beata est Diuinitas: id, quod ordine sequitur, ut intelligatur, perspicuum plane est; nempe ut si homo aliquis est qui misericordia utatur, hic utique dignus sit diuino beatæ uitæ statu; quoniam in eo uersatur, cuius nomine Deus appellatur. Deus misericors & iustus:

&

& Deus nostri miseretur. Quo igitur pacto fieri potest, ut beatum illud non sit, uocari atque esse hominem, qui ex actione Deus nominatur? At diuinus item Apostolus orationibus suis maiora nos munera expetere suadet. Nobis autem illud quidem propositum est, nõ ut res honestas cupere in animum inducamus; quoniam hoc ipsum hominum generi est a natura tributum, ut sua sponte illi ad honestum propensi ferantur; sed ut ne in eo, quod honestum est, diiudicando fallamur. nam in hac potissimum parte errat uitæ nostræ ratio; quia nõ satis diligenter cognoscere potest, quid natura honestum sit, quidue tale falso putetur. Etenim si uitæ nudũ propositum esset uitium, neque aliqua esset honesti specie coloratum, nunquam sane ad illud sese genus hominum contulisset. Quare cognitione nobis opus est, ut propositæ sententiæ uim cognoscamus; cumque illius sententiæ, quæ ei dicto subiecta est, ueram cognouerimus pulchritudinem; ad eam nos conformemur. nam ut cunctis hominibus de Deo a natura insita est opinio; sed quoniam ignoratur is, qui uerus est Deus; iccirco peccatur in eo, quod colitur. Siquidem alii eam, quæ & in patre, & in filio, & in spiritu sancto cernitur, ueram diuinitatem colunt & uenerantur; alii cum in opiniones inciderint, quæ a ratione plane discrepant; naturæ creatæ eiusmodi cultum tribuendum putarunt; idque propterea cum non in exigua re a ueritate aberrarint, impietati aditum patefecerunt. pari ratione in ea, quæ proposita est, sententia, nisi ueram illius significationem perceperimus; non in exigua quidem re nos damnum faciemus, si in ueri indagatione peccabimus. Ergo quid plane misericordia est, in cuiusue rei actione uersatur? quoue modo fit,

ut

ut beatus æque ſit is, cui miſericordia tribuitur, atque ille, qui tribuit? Beati enim, inquit, miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Atque huius quidem dicti ea, quæ in promptu eſt, ſententia ad mutuam & caritatem, & commiſerationem hominem inuitat, cum inæquabilis ſit ac uaria humanarum rerum condicio; neque pari omnes uitæ ſtatu ſint; ſiue hoc ad dignitatem, ſiue ad corporis conſtitutionem, ſiue ad reliquas attineat facultates; nã contrariis inter ſe rebus, utpote ſeruitute & libertate, diuitiis & paupertate, gloria & ignominia, aduerſa & cõmoda corporis ualetudine, cunctisq; aliis rebus eiuſmodi diſtributus eſt uitæ noſtræ ſtatus. Quare ut id, cui deeſt, par fiat atque æquale illi cui abundat; expleaturq; parte nimia id, in quo parum eſt; illud præſcribit, ut homines eorum miſereat, qui imbecilliores ſunt: quoniam nõ aliter fieri poteſt, ut ad aliorum calamitates ſubleuandas quis impellatur, niſi ad eiuſmodi motum miſericordia eius animum leniter impulerit: ex re enim, quæ immanitati contraria eſt, cognoſcitur miſericordia. Vt igitur is, qui ferus eſt, atque immanis difficilem ſe adeuntibus præbet; ſic qui ex alienis incommodis dolore atque commiſeratione afficitur, is cum ſeſe ad id accommodet, quod ſollicitus dolentis animus requirit, cum illo affectione quodammodo ſe permiſcet. Atque miſericordia quidem, uerbi cauſa ſi quis eam definiendo explicaret, dolor quidam eſt, qui ex alienis calamitatibus ſponte contrahitur. Sin autem non ſatis accurate eius uim expreſſimus; fortaſſe alia quidem definitione apertius explanabitur. Miſericordia eſt affectio quædam, quæ uim amoris habet erga eos, qui rerum quarundam moleſtarum dolore cruciantur. Nam ut im-

Miſericordia

ma-

manitas & feritas ab odio originem causamq; ducunt; sic ab amore caritateue quodã modo existit misericordia; quæ utique non esset, nisi ab ipsa amoris ui nasceretur. Ac si quis diligenter inuestigaret misericordiæ uim ac naturam; cognoscet plane summam esse affectionem, in qua amor inest cum dolore coniunctus. Rerum enim secundarum omnes tum æqui tum iniqui expetunt se socios ac participes fieri; in rebus uero aduersis hoc solum ii cupiunt & uolunt, qui amoris uinculo astricti tenentur. Sed amoris quidem uim omnium rerum, quæ in hac uita expetuntur, præstantissimam esse constat: amoris autem uis in misericordia posita est. Itaque proprie beatissimus est is, cuius animus affectu eiusmodi astrictus est, quasi is sit, qui summam assecutus sit uirtutem. Ac nemo uirtutem hanc in iis solum rebus consistere arbitretur, quæ illi subiectæ sunt: hac enim ratione non cuiusuis hominis esset munus eiusmodi recte præstare; sed illius solum, qui aliquam benefaciendi haberet facultatem; sed rectius mihi esse uidetur eiusmodi officii genus ex uoluntate existimari. nam qui optima tantum est uoluntate; quo minus autem benigne faciat, prohibetur, quoniam non potest; hic animi uoluntate non eo inferior est, qui factis suam præstitit uoluntatem. Quare si quis in hanc partem accipiat huius beatitudinis sententiam; quantus uitæ afferatur fructus, superuacaneũ est differere; cũ uel rudibus imperitisq; hominibus perspicua ea sint, quæ uitæ ex hoc consilio recte eueniant. nam, uerbi gratia, si omnibus hæc animi uoluntas erga eum inesset, qui inferior est; neque rei superioris ulla amplius esset condicio, neque contrariis inter se nominibus distincta esset uitæ ratio: non

Misericordia non est sine amore.

hominem affligeret paupertas, non seruitus deprimeret, nõ ignominia molestiam illi afferret: omnia enim essent omnibus paria; æqualisque & bonorum distributio, & nominum appellatio in uita hominum constitueretur; si quod præstat ultro ei adæquaretur, cui plane deest. Sin autem hoc ipsum eueniret, nulla amplius reliqua esset inimicitiarum materia, nulla inuidia, nullum odium, nulla ulciscendi libido; mendacium, insidiæ, bellum, ceteraque sublata essent omnia, unde illa plus habendi manat cupiditas. Cum uero illa, quæ affectuum plena est uoluntas, abiicitur, una cum ea, quasi cum mala aliqua radice uitiorũ semina conuelluntur: quibus sublatis uirtutum quasi caterua succedet; pax, iustitia, omnisque rerum, quæ ad bonum spectant, ordo. Quid igitur beatius est, quam ita uitam instituere, ut non amplius uectibus ac septis uitæ præsidium committatur, sed mutuis sit officiis munitum? Etenim ut is, qui immitis est ac ferus, inimicos sibi illos comparat, qui agrestem suam experti sunt immanitatem: sic illum, qui benignus est ac misericors beneuolentia omnes prosequimur; cum misericordia ipsa naturaliter amorem in eos ingeneret, qui illa præditi sunt. Itaque misericordia est, ut definitio demonstrat, beneuolentiæ, caritatisue mater, amoris pignus, omnisque beneuolæ uoluntatis uinculum. hoc uero præsidio quid in uita firmius excogitari potest? ut optimo iure Dominus eum, qui misericordia utitur, beatum iudicet; cum tam multa bona huic misericordiæ nomini inesse uideantur. Atque hoc quidem consilium in uita utile esse nemo est qui ignoret. Sed aliquid plus, quam ea, quæ in promptu sunt, tacite significare hæc mihi sententia uidetur, cum res futuro

tem-

tempore exprimatur. Beati enim, inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. quasi iis, quos aliorum miseret, in posterū sit proposita misericordiæ remuneratio. Quare hac, quæ facilis est atque omnibus in prōptu, sententia prætermissa; illud, quod occultius latet, nos pro uirili aperire conemur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Itaque in hoc dicto diuinum aliquod præceptum inest, quod cognosci licet, nēpe illud, quod is, qui ad imaginem suam effinxit hominē, huius simulacri naturæ omniumuirtutū semina inseruit, ut res nulla honesta extrinsecus sese insinuet in nos; sed in potestate nostra sit, id habere, quod uolumus, atque e natura quasi cella quadam penuaria bonum depromamus. nam e rebus singulis, id quod uniuerso in genere est, nos cognoscimus, non alio scilicet modo posse quempiam ea, quorum cupiditate tenetur, assequi, nisi ipse sibi, quod bonum est, comparet. propterea quodam loco ad eos, qui audire possunt, ita alloquitur Dominus. Regnum Dei intra uos est. & alibi: Qui petit, accipit; qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Itaque ut accipiamus quod expetimus; quodue quærimus inueniamus; in eoque uersemur cuius nos desiderio tenemur; hoc cum uolumus, in nostra situm est potestate, e nostraque pendet uoluntate. Vnde illud, quod consequens est, comprobatur, atque e re contraria intelligitur, nullam scilicet ad malum uim nobis ingenerari, cum ad id nulla nos necessitas extrinsecus impellat. Sed malum simul ac susceptum est, consistit; cumque illud suscepimus, tum in naturam conuertitur. ipsum uero malum per se si eius natura spectatur, non extra consilii deliberationem positum usquā inuenitur. ex his autem libera illa

arbitrii uis, quam is, qui naturæ fabricator est, hominum naturæ tribuit, aperte cognoscitur; propterea quod omnia siue bona, siue mala e nostra proficiscuntur uoluntate: Deique iudicium, cum & incorrupta & æquitatis plena sententia sequatur ea, quæ a nostro profecta sunt consilio; illud cuique tribuit, quod sibi is ante comparauit; iis scilicet, qui secundum perseuerantiam (inquit Apostolus) in bono opere, gloriam & honorem quærunt, uitam æternam: illis autem, qui ueritati non acquiescunt, credunt autem iniquitati, iram & tribulationem; atque omnia, quæcunque acerbæ remunerationis nomine appellantur. Vt enim specula, quæ uerã exprimunt alicuius rei imaginem, tales ostendunt uultuum effigies, quales ipsi quidem uultus sunt; hilares quidem eorum, qui gaudenti sunt animo, demissi uero ac tristes apparent illorum, qui in mærore sunt: neque speculi quis naturam accuset, si exemplari mæstitia collapso, tristis apparet imaginis similitudo: ita iustum Dei iudicium nostris affectionibus sese accommodat, utpote cum e nostris factis talia nobis retribuat, qualia sane a nobis extiterũt. Venite, inquit, benedicti: ite maledicti. nulla externa necessitas in his est, ut iis qui ad dexterã collocati sunt, suauẽ quidem uocem, tristem uero illis emittat, qui ad sinistram sunt. An non hi quidem ob ea, quæ egerunt, misericordiam consecuti sunt; illi uero quoniam aduersus uicinos suos immanitate usi sunt, immanem sibi Deum effecerunt? Diues ille cum deliciis omnibus circumflueret non misericordia pauperis hominis ad ostium iacentis commotus est: iccirco is misericordiam sibi præcidit, cum misericordiam imploret, neque exaudiatur: non quod una gutta magno paradisi fonti damnum attulit, sed

Simile elegans

quo-

quoniam misericordiæ stilla cum immanitate nullo pacto commiscetur: quæ enim cum tenebris lucis communio est? Qualia, inquit, homo seuerit; talia etiam metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet uitam æternam. Hominis quidem sementem opinor esse uoluntatem: messem uero eam, quæ uoluntati consilioue conueniat, remunerationem. Bonorum seges uberrima est iis, qui eiusmodi semen delegerit: spinarum uero messis illis laboriosa est, qui spinosa in hac uita semina proiecerit: oportet enim quemque id omnino metere quod ipse seuerit; neque fieri aliter ulllo modo potest. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Quæ hominis oratio summam hanc, quæ huic dicto subiecta est, sententiam exprimere posset? Nam infinita hæc sententia, quæ non ad aliquẽ refertur, illud postulat, ut præter ea quæ iam explicata sunt, aliquid amplius indagemus; propterea quod non adiectũ est, quales sint ii, quorum misericordia nos commoueri conuenit: sed simpliciter dictum est; Beati misericordes. Fortasse enim Dominus his uerbis aliquid nobis eiusmodi tacite indicat; beato illi luctui cõuenire misericordiæ sententiam. nam illic beatus is est, qui in luctu uitam agit: hocque in loco idem & docere & significare Dominus uidetur. Vt enim alienis afficimur calamitatibus; cum eorum aliqui, qui nobiscum necessitudine iuncti sunt, in repentinas aliquas inciderunt calamitates; uel quia paternis expulsi sunt edibus, uel e naufragio nudi seruati, uel a piratis aut latronibus capti, uel ex liberis serui facti, uel e felici statu in seruilem inciderũt & abiectam condicionem, uel aliquod eiusmodi incommodum

acceperunt ii, qui paulo ante prospero aliquo rerum successu utebantur. ut igitur in animis nostris acerba quædam ex iis rebus innascitur mutua affectio; fortasse opportunius multo esset, in nobis ipsis huiusmodi excitari sensum ob eam, quæ præter dignitatem facta est, uitæ uicissitudinem. Cum enim mente rationeque nos lustrauerimus, quam illustris illa sit nostra patria, unde eiecti sumus; quo pacto sub latronum potestate sumus; quoue modo graui molestaque hac uita oppressi omni bono caremus; qualesue & quam multos passi sumus dominos, pro eo, quod in libera uitæ consuetudine uersabamur; quoue denique modo beatissimum uitæ nostræ cursum morte atque interitu interrupimus: num fieri potest, ut, cum hæc ipsa mente reputabimus, alienarum nos calamitatum misericordia afficiamur? an non sui commiseratione animus tenetur, si secum ipse cõsideret, quæ habeat quæue amiserit? Quid enim hac seruitute miserabilius; cum pro paradisi deliciis pestiferam huius uitæ regionem laborumque plenam nacti simus? & pro illa tranquillitate in sexcentas perturbationum pestes inciderimus? proque cælesti illa uitæ angelicæ consuetudine ad id damnati simus, ut cum terrenis bestiis simul uiuamus? utpote cum nos angelica illa uitæ ratione, quæ perturbationũ expers est, permutata, eum uitæ morem, qui pecudum est, susceperimus. Quotusquisque est, qui acerbos uitæ nostræ tyrannos, & agrestes ferosque dominos facile enumeraret? acerbus dominus furor; eiusdem item generis inuidia est, odium, superbiæ affectus ferus quidã atque immanis tyrannus, quasi cogitandi uis quædam impotens est, ac effrenata, quæ seruos uilesque homines despicit; quæue uitiosis actionibus atque impuris mancipat

cipat ac addicit naturam. Auaritiæ uero dominatio quam acerbitatem uel maximam non affert? quæ cum miſerum animum ſeruitute opprimat, illum ſemper eo impellit, ut inſatiabiles ſuas expleat cupiditates: cũq; ſemper egeat, nunquam ſatiatur tamen; quaſi bellua quædã, quæ multis capitibus cõſtans, per infinita ora cibum inexplebili uentri immittit; nunquam eius rei, in quam ſe ingurgitauit, ſatietate expletur; ſed quod ſemper accipit, id illi materies exiſtit atque incitamentum augendæ cupiditatis. Quotusquiſque igitur eſt, qui ſi hanc miſeram uitæ condicionem ſecum reputarit, non cum quadam commiſeratione doleat his incommodis? Sed cauſa, quamobrem noſtri miſericordia ipſi minus afficimur, ea eſt, quoniam ſenſu caremus malorum: id quod accidere ſolet iis, qui mente ſana non ſunt: ſtultitiæ enim atque inſaniæ uis ſenſum illis earum rerum adimit, quas ipſi patiuntur. Itaque ſi quis ſeſe colligit, atque conſiderat, tum qualis antea fuit, tum qualis in præſentia ipſe eſt, (qui enim ſeipſos norunt, hos ſapientes appellat quodam loco Salomon) nunquam hic ſui miſereri deſinet; hãc uero animi affectionem conſequetur miſericordia Dei, idque uere. propterea Beati, inquit, miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur: ipſi, non alii: hoc enim nomine explicatur ſententia: quaſi ſi quis diceret, bene cum eo agi, qui corporis ualetudinem curat; quoniam qui in ea tuenda curam adhibet, commoda integraque ualetudine utetur; ita qui miſericors eſt, in beatis numeratur; propterea quod miſericordiæ fructus proprie ad illum pertinet, qui miſericordia utitur; ſiue hoc ex ea, quæ iam nunc explicata eſt, ratione intelligatur, ſiue ex iis, quæ paulo ante commemorata

ſunt; loquor enim de eo, qui alienis incommodis dolere ſeſe oſtendit. nam quod & ſui miſeratione ipſe tenetur,& ex alienis incõmodis dolore afficitur, utrunq; hoc æque bonum eſt. Siquidem diuini iudicii æquitas, hominis, qui ſumma poteſtate præditus eſt, uolun tatem iis oſtẽdit,qui inferiores ſunt: quaſi homo cauſis eorum iudicandis, qui ſubiecti ſunt, quodãmodo iudi cium de ſe ipſe ferat. Itaque quoniã creditur, idq; uere creditur fore, ut cuncti mortales Chriſti iudicio ſiſtãt; quo quiſque præmia accipiat, quæ corporis factis reſpondeant: ſiue bene is, ſiue male egerit. Fortaſſeq; ſi fieri poteſt, ut quæ neque ratione exprimi neq; oculis cerni poſſunt, ea mente cõprehendamus; illud dicam audacius,poſſe etiam nunc eorũ animaduerti remunerationem, qui miſericordiam conſequuntur. etenim quæ in hominum animis beneuolentia ineſt erga illos, qui miſericordiam præ ſe ferunt; ea perpetuo ut par eſt in iis manet, qui beneficiũ aſſecuti ſunt. Itaque qui benignitate uſus eſt,ſi quo tempore inquiſitio fiet, agnoſcatur ab iis qui beneficia acceperunt; an cum omnis natura in iudicio iucundiſſimis uocibus celebrabitur; ueriſimile eſt eum aliquo modo animo affectum iri? an aliqua alia beatæ uitæ ratione egebit is, qui in tam frequenti theatro quaſi præconis uoce rerum optimarum fama celebratur? nam quod adſint ii, qui beneficio affecti ſunt, euangelii uox in eo oſtendit, cũ & bonis & peccatoribus rex reſpondet:ad utroſque enim oratione ea utitur, in qua indicandi uis ineſt, remque ſubiectam quaſi digito his uerbis oſtendit: Quod feciſtis uni ex his fratribus meis minimis. nam eo quoniam dicit, ex his illos adeſſe demonſtrat, qui beneficia acceperunt. Iam uero dicat mihi nunc is,qui inanimatam

matam pecuniarum uim futuræ beatæ uitæ anteponit; qualis eiusmodi est auri splendor?qui ita elucētes pretiosi lapides? qui uestium ornatus eiusmodi est, quale sane illud præmiū est, quod nobis spes proponit; cum ille rex, a quo cuncta procreata sunt, in excelso sublimique gloriæ gradu collocatus, se hominum generi patefaciet? cum innumerabiles angelorum legiones circa ipsum stare conspicientur? cum regnum illud cæleste, quod oratione explicari non potest, ob omnium oculos uersabitur? contraque proposita erunt tæterrima illa supplicia, quibus in mediis cūctos homines, quotquot ab origine usque ad uniuersi finem sunt in lucem editi; cum incerti euentus expectationem pertimescant; rerum futurarum aut metus, aut spes sollicitos eos habet; cū illi etiam, qui recta animi conscientia uitam traduxerunt, rei futuræ diffidant, uidebuntque alios praua conscientia homines in tenebras horridas illas quidē ac tæterrimas quasi a carnifice quodam abripi? Si hic fausto gratoq; plausu atque acclamationibus eorum celebratus, quibus benigne fecit; beneq; factorum suorū fiducia insignis atque ornatus, ad iudicis conspectum adducitur; an felicitatem illam terrenis his diuitiis parem æqualemque esse ducent? an montes omnes, agros, siluas, mare, quæ omnia sibi auri loco fient, pro bonis illis cælestibus sibi tradi pacturus sit? Ille uero, qui signis, claustris, portis ferreis, firmissimisque ac abditissimis locis mammonam occultauerit; illudque omni præcepto potius habuerit, ut quas sibi congessit opes in occulto quodam loco reconderet: si is in tenebricosum illum ignem præceps detruditur; cum omnes, qui in hoc uitæ cursu eius sæuitiam atque immanitatem experti sunt; hoc illi uitio dent; ac

dicant : Memento quod recepiſti bona tua in uita tua: miſericordiam ſimul cum opibus cõcluſam quaſi præſidio quodam tenuiſti : pietatem ac miſericordiam in terris reliquiſti: humanitatem nullam ad hunc uitæ ſtatum attuliſti : non habes quod non habuiſti: non inuenis, quod nuſquam depoſuiſti: non colligis, quod non diſperſiſti : non metis ea , quorum non ieciſti ſemina : meſſem habes ſemente tua dignam. acerbitatis ſementem feciſti, eiuſdem collige manipulos : immanitatem coluiſti ; id tu habe quod amauiſti : nullo dolore tu quemquam aſpexiſti; neque cum miſeratione ipſe aſpicieris : afflictum hominem deſpexiſti ; tu quoque perditus deſpicieris : miſericordiam fugiſti ; te miſericordia fugiet : egenum ac pauperem faſtidiſti ; is qui cauſa tua pauper & egenus factus eſt , faſtidiet te . ubi aurum ? ubi ſplendida uaſa ? ubi theſauri præſidium ſignis munitum ? ubi ad nocturnas uigilias conſtituti canes ? ubi contra inſidiatores armorum apparatus ? aut opum nota in codices relata ? quo hæc ipſa, an ad fletum & ſtridorem dentium ? Quis tenebris lumen afferet? quis illuminabit ? quis perpetuos uermes abiget ? Itaque audiamus , fratres , uocem Domini ; quæ paucis nos tam multa docet de iis, quæ futura ſunt: miſericordiamque aliis tribuere diſcamus : ut hoc præſidio adiuti efficiamur beati , auctore Domino noſtro Ieſu Chriſto , cui gloria potentiaue in ſempiterna ſæcula . Amen .

CONCIO VI.

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt.

QVemadmodum iis ueriſimile eſt ut accidat, qui ex alta aliqua ſpecula mare aliquod immenſum proſpiciunt: idem euenit mẽti meæ, quæ e uoce excelſa Domini, quaſi e ſummo aliquo monte ſententiarum uim cõtemplatur, quæ oratione exprimi nõ poteſt. nam ut multis maritimis in locis ad eã partem, quæ ad mare pertinet, montem cernere licet, qui medius ab ſumma ad imam uſque partem recta interciſus eſt; cuiusue ſummus uertex proiectus mari impendet; itaque quod ueriſimile eſt, ut ei accidat, qui e ſumma huius montis altitudine infimum mare deſpicit; ſic mens mea tenebris quaſi inuolucris quibuſdam obtenditur, cum ad hanc Domini ſententiam cõtemplandam erecta eſt. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Deus iis ſpectandus propoſitus eſt, qui puro caſtoque ſunt animo. Deum nemo uidit unquam, inquit magnus Ioannes. quam ſententiam Paulus alta atque elata mente iis uerbis affirmat: Quem nullus hominum uidit, neque uidere poteſt. Hoc illud præruptum ſaxum eſt, in quo nulla ſententiarum uis poſſe cõſiſtere oſtenditur: quoue nullum aditum patere Moſes ſuis etiam decretis affirmauit; quaſi mens noſtra eo peruenire nullo pacto poſſit. nam hoc longe abeſſe, ut aſſequamur, iis uerbis oſtendit: Nemo eſt, qui Deum uidebit, & uiuet. Atque Deum quidem uidere, hoc profecto eſt uita ſempiterna. idque ipſum difficile eſſe affirmant illa

fidei robora Ioannes, Moses, & Paulus. Vides quasi ingenii æstum, quo una animus agitatur in explicandis iis, quæ ad huius sententiæ contemplationem pertinent. Deus uita est: qui eum non cernit, neque uitam spectat: quod uero cerni non possit, hoc & prophetæ & apostoli diuino numine afflati testantur. qua in re hominum posita spes est? At spem hanc quasi labentem sustentat Dominus; quẽadmodum in Petro fecit, qui cum in eo periculo esset, ne fluctibus obrueretur, collocauit eum in aqua firma ac stabili. Itaque si nobis quoque præsto erit manus Domini, facietque ut in dubia sententia nos in eo constantes simus, quod alte contemplamur, ab omni metu uacui erimus, cum illud ipsum duce Domino firme animo conceperimus. Beati, inquit, mũdo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Promissio igitur hæc tanta est, quæ uel omnem beatæ uitæ modum superet. nam cum quis habeat cuncta in eo, quem intuetur; hoc bonum ipse assecutus, quid aliud optabit? etenim sacrarum litterarum usu receptum est, ut uidere perinde sit atque habere; ut illud; Videas bona Hierusalem: atque inuenire, ut iis uerbis ostenditur; Tollatur impius, ne uideat gloriam Domini. ne uideat, iis uerbis propheta demonstrat; ne habeat. Qui igitur Deum uidet, is omnia iam assecutus est, quæ in bonis numerantur, propterea quod uidet; assecutus est enim uitam sempiternã, immortalitatem perpetuam, immortalem beatæ uitæ statum, regnum perenne, gaudium sempiternum, lumen uerum, spiritalem iucundamq; uoluptatẽ, gloriam eam, ad quam nullus est aditus; lætitiam perpetuam, atque omne denique bonum. Tale igitur est atque adeo magnũ, quod beatæ huius uitæ promissione nobis ad spem propositum

tum est. Quoniam uero Deum uidendi ratio ea scilicet ante demonstrata est, ut puro corde quis existat: huius quoque rei dubitatione quasi æstuat animus; an cordis sinceritas ex iis rebus constet, quæ factu quidem difficiles sunt, ac supra naturæ nostræ modum. nam si sinceritatis atque integritatis præsidio Deus cernitur; Moses uero & Paulus nõ uiderunt, utpote cum neque a se, neque ab alio quoquam Deum uisum affirment: nullo certe pacto fieri posse uidetur, ut is beatæ uitæ status comparetur, qui in præsentia est a Domino propositus. Ergo quid nobis lucri fiet, ex eo, quod cognouimus, quo modo Deus uideatur, si nulla eiusmodi uis menti inest? nam hoc ab eo dissimile est, ac si quis in cælo uersari beatum esse diceret, quoniam illic ea cernentur, quæ in hoc uitæ spatio minime uidentur. Etenim si aliqua cælestis itineris ratio ante esset a Domino demonstrata, maxime quidem auditoribus expediret cognoscere, illud quam beatissimum esse in cælo uersari. at quamdiu nullus patet aditus; quid nobis emolumenti affert illa cælestis beatæ uitæ cognitio, quæ sollicitos dumtaxat nos habet? propterea quod, cum nullam uiæ itinerisque rationem inire possimus, illud solum cognoscimus, quibus, quantisue bonis spoliati simus. An igitur quod a natura nostra alienum est, hominumque uim superat, nos ad id ipsum hoc magnifico præcepto adhortatur Dominus? non ita quidem res se habet. neque enim uolucres eos fieri iubet, quibus natura alas non tribuit; neque illos in aquis uitam degere, quibus terrenæ uitæ genus obtigit. Itaque si ceteris omnibus in rebus accipientium facultati accommodata lex est, neque quidquam fieri cogit quod naturæ modum excedat; illud etiam recte

plane

plane intelligemus, non a ſpe id eſſe alienum, quod in hoc beatæ uitæ genere propoſitum eſt: quinetiam ſublimi hac beatæ uitæ ratione, quæ e Dei conſpectu exiſtit, neque Ioannem, neque Paulum, neque Moſem, nec ceteros eorum ſimiles caruiſſe animaduertemus; non hunc quidem, qui dixit: Recondita eſt mihi iuſtitiæ corona, quam reddet mihi iuſtus iudex: neque eum, qui in Ieſu pectore recubuit: nec illum, qui hanc e uoce Domini auditionem accepit: Cognoui te præter omnes. Quare, ſi quorum ſermone celebratum eſt, Dei ſcilicet contemplationem ſupra id eſſe, quod a nobis præſtari queat, eos ipſos maxime in beatis eſſe inter omnes conſtat: illaque beatæ uitæ ratio, quæ e Dei conſpectu eſt, in eo ſita eſt, ut puro ſinceroque corde aliquis ſit: certe cordis illa ſinceritas, per quā quempiam beatum fieri licet, non eiuſmodi eſt, quæ a nobis præſtari non poſſit. Quo igitur modo fieri poteſt, ut illi, qui una cum Paulo Dei contemplationem a natura noſtra alienam eſſe oſtendunt, uera dicant; neque illis ipſis omnino repugnet uox Domini, quæ ſinceritatis ſtudio a nobis adhibito Deum uiſum iri pollicetur? Ego ſane optimum factu eſſe arbitror, ut pauca quædam de iis proponam, quo recte atque ordine de re propoſita a nobis inſtituatur diſputatio. Diuina natura per ſe quidem ipſa omnē mentis cogitationisq; uim ſuperat; atque ab omnibus coniecturis meditationibusque remota eſt: neque ulla unquam inter homines ratio inuenta eſt, qua contemplaremur ea, quæ ſenſibus comprehendi non poſſunt: neque ulla excogitata uia eſt, qua res difficiles contemplando aſſequeremur. Itaque magnus ille Apoſtolus inſcrutabiles appellat uias eius. quibus quidem uerbis oſtendit, uiam illam,

qua

qua ad diuinæ naturæ cognitionem ducimur, eiuſmodi eſſe, quam nulla ratione conſequi poſſimus; utpote cum nemo ex iis, qui huius uitæ curſum confecerunt, ullum unquam ueſtigium impreſſerit illius rei indagandæ, quæ nullo pacto cognoſci poteſt. Cum uero natura eiuſmodi ſit is, qui cunctæ naturæ præſtat, alia quidem ratione & uidetur & compreheditur is, qui neque cerni, neque ullo ſenſu comprehendi poteſt. Sed complures tamen ſunt huiuſce contemplationis modi. nam ſapientiæ illius, quæ in uniuerſo apparet, ui animaduerſa, intueri mente poſſumus eum, qui cuncta ſapienter effecit. id quod in humanis operibus uſu uenire ſolet, in quibus propoſitæ rei opifex quodam modo mente cernitur; quoniam is opere ipſo artem in uulgus proponit; ipſius uero opificis natura minime ſpectatur, ſed ſola illa artis ſcientia, quam opere expreſſam ipſe oſtendit. pari item ratione cum ornatum, qui in rebus creatis cernitur, nos intuemur; non naturæ quidem, ſed ſapientiæ eius, qui res uniuerſas ſapienter creauit, notio quædam animo noſtro imprimitur. ſique uitæ noſtræ cauſam animo rationeq; luſtrauerimus; non neceſſitate aliqua impulſus, ſed optima uoluntate ductus eo uenit, ut hominem crearet. hacque ratione, cum bonitatē eius non naturam mente cogitationeq; complectamur, rurſus Deum cerni dicimus. ſicque cetera omnia, quæcunque ad aliquid, quod ſublimius ſit, ceteriſq; rebus præſtet, mentem noſtram excitant; ea ipſa diuinæ contemplationis nomine appellamus: cum altiſſima quæque animi cogitationiſque noſtræ elatio in Dei nos conſpectum perducat. nam potentia, integritas, ſtatus, qui perpetuo idem ſit; ac nulla cum rebus contrariis permixtio diuinæ cuiuſdā atque

altæ

altæ cognitionis opinionem animis nostris inserit. Itaq; ex iis, quæ iam commemorata sunt, perspicuum fit a Domino uera dici, cum ab iis Deum conspectum iri profiteatur, qui integro puroq; corde sunt. Neque Paulus mẽtitur, qui illud scriptis suis tradidit; quod Deum neque quisquam uiderit, neque uidere possit. etenim qui natura cerni non potest, quoniam quæ in eo animaduertuntur proprietates, harum ipsarum ope cernitur; fit ut ex actionibus ipse uideatur. Verum non eo solum hæc beatitudinis spectat sententia, ut ex aliqua eius qui agit, actione talis a nobis ipse animaduertatur: quandoquidem fieri potest fortasse, ut ex apta huius mundi compositione, huius sæculi sapientes, quanta sit diuina potestas ac sapientia intelligant: sed mihi hæc magnifica beatitudinis sententia aliud tradere uidetur iis qui consilium capere possunt: quod uero huius rei mihi uenit in mentem, id exemplis planum fiet. In humana uita bonum aliquod est corporis ualetudo: sed bene est, non modo ualetudinis cognoscere rationem, uerumetiam in uita recte ualere. nam si quis de ualetudinis laudibus differit, cibumque sumit, qui & morbos & malos gignit humores, quid huic, qui morbis conficitur, prosunt ualetudinis laudes? sic igitur quæ proposita est, intelligenda est oratio: ut de Deo scilicet aliquid cognoscere, hoc non in rebus beatis ponat Dominus: sed illud, uel beatissimum dicat, Deum in se habere: Beati enim, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt. Non enim quasi e conspectu Deum ei spectandum proponi arbitror, qui puro sit atque integro mentis sensu; sed illud fortasse hæc præclara sententia nos monet. quod aliis item Dominus apertius iis uerbis exprimit; Intra

uos

uos eſt regnum Dei. quibus quidem uerbis docemur, omnem, qui animi ſui ſordes, turpesq; uitiorum maculas abſterſerit, eum ipſum in ſua pulchritudine diuinæ naturæ contemplari imaginem. Ac mihi quidem uidetur Dominus paucis, quæ dixit, eiuſmodi ſententiam complecti. Vos, qui uerum illud bonum contemplari ac cognoſcere ſtudetis; cum diuinam maieſtatem ſupra omne cælum elatam audietis, eiusque gloriam eiuſmodi eſſe, quæ oratione explicari non poſſit; ac pulchritudinem talem, quæ omnem cogitationis uim ſuperet; naturamq; eam, quæ mente comprehendi nõ poſſit; nolite deſperare, quo minus id intueri poſſitis, cuius uos cupiditate tenemini. Nam is, quem ipſe tenere potes, contemplandi Dei modus in te eſt; quoniam qui te ita effinxit, ſtatim naturæ tuæ eiuſmodi bonum tribuit. Nam Deus naturalium bonorum ſuorum ueſtigia operi ſuo impreſſit, tanquam is, qui cera aliqua imaginis ſpeciem ante effinxerit. ſed uitium, quo diuinæ imaginis forma obſcurata eſt, irritum tibi reddidit bonum illud, quod turpibus eſt inuolucris occultatum. Quare ſi accurata diligentique uiuendi ratione ſordes animo tuo illitas rurſus plane elueris, diuinæ in te pulchritudinis ſplendor apparebit. id quod in ferro fieri ſolet; cum id, quod paulo ante nigrum erat, ſi rubigo cote detrahitur; in ſole cum per ſe ſplendeſcat; tum illuſtres quoſdã emittit radios: ita interior homo, quẽ cordis nomine uocat Dominus; cum rubiginoſas abſterſerit maculas, quæ peſſimo ſitu obductæ in ipſa forma floris inſtar apparẽt; priſtinã rurſus is recuperabit exemplaris imaginem; bonuſq; plane efficietur, quoniã quod boni ſimile eſt, id omnino bonũ eſt. Itaq; is, qui ſeipſum intuetur, in ſe id contemplatur, cuius

desiderio ipse tenetur: hacque ratione beatus efficitur is, qui puro est atque integro corde, propterea quod cum sinceritatem ipse suam animaduertat; in imagine intuetur exemplar. nam ut ii, qui in speculo solem aspiciunt; licet cælum ipsum fixis oculis non cernant; in speculi tamen splendore nihilo secius cælum uident, atque illi ipsi, qui solis contemplantur orbem: ita uos etiam, inquit, & si ad eius luminis, quo difficilis est aditus, contemplandi uiam imbecilles estis; si tamen eam imaginis formam rursum assumetis, quæ uobis principio tributa est; in uobis quidem ipsis habetis id, quod maxime quæritis. Integritas enim atque innocentia, ab omnique uitio uacuitas Deus est. Si hæc ipsa igitur in te sunt; omnino inest in te Deus. Cum ergo mẽs tua simplex est, omnique uitio atque affectu uacua, ab omnique sorde aliena, tum beatus es, quia acutissime cernis: quippe cum id, quod sub aspectum eorum non cadit, qui sordes suas non eluerint, ipse mente perspicias, cum animo puro sis: crassaque mentis caligine detersa sincero illustriq; animi splendore beatissimum aperte intuearis spectaculũ. Hoc uero quid est? integritas, sanctimonia, simplicitas, omniaque eiusmodi illustria naturæ diuinæ lumina, quibus Deus ipse cernitur. Quod autem hæc ita sese habeant, ex iis nos cognoscimus, quæ paulo ante commemorata sunt: sed dubitatio adhuc nobis eadem relinquitur, quæ ab initio fuit. Etenim ut qui in cælis uersatur; is rerũ, quæ in cælo sunt admirabiles, particeps fit; sed cum huiusce rei ratio difficilis admodum sit, nihil ea nobis prosunt, quæ in promptu sunt: ita ex eo, quod quis animi sordes eluerit, eum beatum fieri non dubitamus. sed quo modo aliquis eum a sordibus purget, hoc nõ dissimile plane

esse

esse uidetur, atque in cælum ascendere. Itaque quæ scala Iacob? qui igneus currus inuenietur similis eius, quo propheta Elias in cælum sublatus est? quoue animus noster ad res cæli admirabiles euectus, terrenum hoc onus deiiciat? si quis enim necessarios animi motus ratione lustrauerit, difficile atque arduum esse ducet, ea, quæ in animo infixa hærent, mala posse conuelli. Ortus enim noster a malo statim initium ducit; malique quasi uia magis atque magis progreditur; & malo denique eius finis concluditur. Est cum natura malum concretum ac permixtum culpa eorum, qui peccatum admiserunt a principio, neque dicto Dei audientes, morbum eam ob causam introduxerunt. Sicut autem in singulis animantium generibus ad posteros eadẽ naturæ uis traducitur ac propagatur; ut quidquid naturæ rationi consentiens natum sit, idem sit cum eo, unde natum est: sic ex homine nascitur homo; ex uitioso homine uitiosus; ex peccatore item peccator. Ergo cum iis, qui concipiuntur, simul ingeneratur peccatum: quod eodem item partu ortum, una cum illis augescit; extremoq; eodem uitæ actu finitur ac terminatur. At uirtutem ipsam tum difficilem illam quidem esse, quam assequamur; tum uix multis laboribus ac sudoribus eius officium recte præstari posse, e multis diuinarum litterarum locis hoc cognouimus; cum regni cælestis iter difficile illud quidem, atque artum per angustias uiarũ fieri audiamus; latum uero esse id, ac facile, quo per uitium uita ducitur ad interitum. Sed tamẽ cælestis uitæ rationẽ non difficilem esse sacris proditum est litteris; quarum quidem uoluminibus tam multorum hominum res admirabiles nobis exponuntur. Cum uero in hac Dei contemplandi

ratione duplex ſit ſententia; una quidem, quoniam eam naturam cognoſcimus, quæ huic uniuerſitati præeſt: altera, quia integerrima uitæ diſciplina ſecum coniuncti ſumus. Superius quidem contemplationis genus difficile eſſe oſtendit uox ſanctorum hominum; poſterius autem hominum generi pollicetur Dominus iis uerbis. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum uidebunt. Quemadmodum uero mundo atque ſincero corde eſſe liceat, id ipſum ex omni fere euangelii doctrina cognoſcere potes. nam ſi ordine illius præcepta percurres; id profecto aperte inuenies, quod ad cordis ſinceritatem ualet. Cum omne enim uitium in duo genera diſpertiat, tum in id, quod factis admittitur; tum in illud, quod mente concipitur: primum quidem ueteri lege illud facinus animaduertit, quod factis manifeſto deprehenditur; nunc autem alterum peccati genus uoluit legem ſpectare; cum non improbum factum puniat; ſed illud prouideat caueatque ne male porro fiat. nam ab animi uoluntate uitium conuellere, hoc nihil aliud eſt, quam præ multa abundantia uitam ab improbis factis auertere. Cum autem uarium, ac multiplex ſit uitii genus; ſuum cuique rei nefariæ adhibuit præceptorum remedium. Et quoniam in omni uita ſepæ iræ morbus facile nos opprimit; huius medicinæ initium facit ab ea re, quæ longe præſtat; cum illud in primis lege ſtatuerit, ne iraſcamur; Veteri, inquit, lege ad id inſtitutus es, ne cædem facias; in præſenti iam illud cognoſce; ut ab animo iracundiam amoueas, quam in uicinos exerces. Non enim iraſci omnino prohibuit: quoniam in re honeſta tuenda aliquando eiuſmodi animi impetum adhiberi licet. Sed cum nulla honeſta de cauſa cum fratre interdum ira-

cunde

cunde agitur, hæc iracundiæ uis præcepto restinguitur. nam euangelii litteris ita scriptum est: Quicunque fratri suo temere irascitur: illud, temere, quod additum est, ostendit sæpe usu uenire, ut non incommode tum aliquis irascatur, cum scilicet peccatis puniendis hoc animi ardore efferuescit. Hoc iræ genus, sacrarum litterarum testimonio, est ei, qui Phinees dicitur, attributum: cum is iram Dei placauit, qui delinquentium cæde ualde fuerat in populum commotus. Deinde ad illud transit, ut remedium iis rebus afferat, in quibus uoluptatis causa peccatur: immoderatamque adulterii cupiditatem, præcepti ui ex animo conuellit. hocque pacto in iis, quæ sequuntur, inuenies singula quæque Dominum corrigere; legumque præsidio unicuique uitiorum generi occurrere. Vetat ne quis iniuriam faciat, neue manus alteri afferat; cum ne iniuriam quidem nos persequi concedat. Auaritiæ uitium eo expellit, quoniam illud nobis imperat; ut spoliari patiamur ab eo, qui nobis aliquid eripere conatur. Timiditati illud remedium adhibet, quod iubet nos mortem omnino contemnere. Atque ex singulis quidem omnino præceptis cognosces, Dominum aratri instar incidere, atque funditus conuellere ex intimis animi nostri sensibus malas uitiorum radices: quibus quidem præceptis adiuti purgari ac liberari possumus a fructibus spinosis. Itaque in utraque re naturam Dominus adiuuat; partim quoniam summum bonum nobis pollicetur; partim quia rei propositæ assequendæ rationem præscribit. Sin autem rerum bonarum studium laboriosum esse putas ac difficile; tu uelim hoc cum contrario uitæ instituto cōpares: inueniesq; profecto uitium longe grauius esse ac laboriosius, si non

hæc

hæc præsentia, sed futura spectes. nam qui geēnæ tæterrimum audierit supplicium, non aliquo amplius labore hic sese a peccatorum uoluptatibus auertet; sed metus solus menti iniectus per se satis est ad expellenda uitia. Immo uero bene ac præclare agitur, ut qui rei tacitæ, eam, quæ non expressa intelligitur, sententiam animaduerterint; ii maiorem ex hoc loco mente concipiant cupiditatem. quoniam si in beatis ii numerantur, qui puro sinceroque animo sunt; miseri plane sunt ii, qui mente sunt impura, propterea quod aduersarii faciem ipsi intuentur. Sique ipsa Dei effigies formaq; impressa apparet in uita honesta, & quæ uirtuti consentanea est: in uita certe, quæ uitiis astricta tenetur, aduersarii formam faciemque inesse perspicuum est. Atqui si Deus, ut multiplex est uariaque contemplationis ratio, ita optimo quoque nomine appellatur, lumen, uita, immortalitas, & quæcunque alia sunt eiusdem generis: contra omnino, quæcunque his aduersa repugnant, horum nominibus uocabitur nequitiæ auctor; tenebræ scilicet, mors, ac interitus; & quæcunque horum similia & cognata sunt. Quare cum nos iam diximus, quibus notis, tum uitiosæ, tum honestæ uitæ, forma expressa noscatur; cumque liberæ uoluntatis arbitriique facta nobis sit potestas; diaboli nos formam fugiamus, impuramq; personam deponamus; Dei rursus imaginem induamus, puroq; corde simus; ut cum ex casta integraque uitæ nostræ disciplina Dei in nobis imago impressa appareat, beati efficiamur auctore Domino nostro Iesu Christo, cui gloria sempiterna. Amen.

CONCIO VII.

Beati pacifici, quoniam filii Dei uocabuntur.

SACRI illius tabernaculi, quod populo Iſraelitico lator legis ea forma ædificarat, quam in monte ei Dominus oſtenderat; ſingula quidem omnia tum ſancta, tum ſacra erant, quæcunque interiori ambitu continebantur. Eam uero intimam partem, quæ ſancta ſanctorum nominabatur, adire ingredique nullo modo licebat; cum forma illa nominis duplicata, quæ uim augendi habet, illud, opinor, oſtendat: neque dignitate, neque ſanctitate eam partem cum ceteris comparari poſſe. Sed quanto res conſecrata ſanctaque illi præſtat, quæ uulgaris eſt ac profana; tanto illa pars, ad quam ingredi nefas erat, caſtior habebatur atque ſanctior ceteris illis partibus, quæ proximæ erant. pari item ratione quæcunque de his beatæ uitæ rationibus ſuperius nobis in hoc monte demonſtrauit, ac diſſeruit diuina oratio; ea quidem omnia & ſacra, & ſancta eſſe duco: quod uero iam ad contemplandum eſt nobis propoſitum, id eiuſmodi eſſe arbitror, ut ea pars eſt, quæ ſancta ſanctorum dicitur, quam ingredi nemini licuit. Nam ſi Deum uidere, nihil eſt hac re præſtantius; certe illud omni præſtat felicitati, cum quis efficitur filius Dei. Quæ enim uerborum ſententia eiuſmodi eſt, quæ nominum uis, ut tanti tamq; magni promiſſi munus explicet? quodcunque aliquis mente elatus attente cogitauerit, hoc ipſo tamē res maior eſt, de qua oratio habetur. Si quod de hac beatitudine, promiſſo facto, proponitur, id uel bonū aliquod, uel præclarum, uel ſublime

me dixeris: res tamen, quæ oratione exponitur, plus omnino in se habet, quam illorum nominum ui exprimi possit. Optatis maior est prosper huius rei euentus; ac spem omnem donum, naturamque ipsam superat tale munus. Quid est homo, si cum natura diuina ipsum comparas? Cuius ego sanctissimi uiri sententiam proferam, qua extenuetur atque minuatur hominum condicio? Ex Abrahami sententia homo est terra & cinis: ut Esaiæ placet, fenum: ut Dauidi, ne fenum quidem, sed feni simile. nam ille; Omnis caro, inquit, fenum est: hic uero ait; Homo est quasi fenum. ut uero sentit Ecclesiastes, uanitas est: ut Paulus, miseria. quibus enim nominibus Apostolus seipsum uocauit, eisdem ostendit, se generis humani misericordia commoueri. Hæc ipsa igitur ad hominem pertinent. Deus autem quid sane est? Quo modo definiendo id aperiam, quod neque oculis cerni, neque auribus percipi, neque mente animoue comprehendi potest? quibus uerbis eius naturam explicabo? quod huiusce boni exemplum in iis, quæ nota sunt ac perspicua, inueniam? quæ uerba fabricabo ad exponendum id, quod neque dici, neque exprimi potest? Audiui ex diuinis litteris magna quidem de cælesti natura prædicari; sed hæc quid ad ipsam naturam? etenim quantum mente assequi potueram, tantum est uerbis expressum, non quantum id plane est, de quo futura est oratio. nam sicut qui spiritum de cælo ducunt, eorum quisque tantum excipit, quantum uentriculi cuiusque spatium concipere potest; quo fit, ut hic plus, ille minus excipiat: non tamen qui multum in se spiritum concipit, is totum aeris elementum in se comprehendit; sed ex uniuerso elemento, quantum potuit, nō autem totum rece-

recepit: ſic diuinarum litterarum de Deo ſermones, quos diuino ſpiritu afflati homines nobis exponunt, ſublimes illi quidem ſunt, magnique, & pro ingenii noſtri ratione omnem ſuperant magnitudinem, ſed ueram tamen magnitudinem non aſſequuntur. Quis cælum, inquit, palmo dimenſus eſt, aquam manu, terram pugno? animaduertis ampla & magnifica uerba prophetæ, qui incredibilem potentiam deſcribit; ſed quid hæc ad illud, quod re uera eſt? his enim magnificis uerbis aliquã diuinæ actionis partẽ oſtendit prophetæ ſermo, ipſam uero, unde actio exiſtit, uim, ne dicã naturã, unde uis illa emanat, neque expreſſit propheta, neq; expreſſurus erat; immouero ſermonẽ redarguit eorũ, qui Deum quibuſdam opinionibus quaſi adumbrando effingunt: idque quaſi ex ore Domini ille ait; Cui me aſſimilaſtis, inquit, Dominus? idemque in ſuis ſermonibus Eccleſiaſtes ſentit. Ne feſtines, inquit, efferre ante faciem Dei, quoniam Deus in cælo eſt, tu autem in terra. Mutuo hoc elementorum interuallo illud, opinor, demonſtrat; quam longe Dei natura humanas ſuperet cogitationes. Huic tamen rei, quæ tanta eſt ac tam magna, quæ, ut ante dixi, neque oculis cerni, neque auribus percipi, neque mente comprehendi poſſit; is, qui nullo numero habetur homo, qui cinis, qui fenum, qui uanitas eſt; conciliatur, atque ab eo, qui rerum uniuerſarum conditor eſt, in filiorum ordinem aſciſcitur. Quæ gratiarum actio huic muneri æqualis inueniri poteſt? quæ uox? quæ ſententiarum uis? quæ mentis commentatio, ut huiuſce tanti muneris præſtãtia laudibus ornetur? naturæ ſuæ fines tranſilit homo: ex mortali immortalis; ex caduco perpetuus ac firmus; ex eo, qui ad diem permanet, ſempiternus;

atque ex homine denique efficitur Deus. Nam qui dignus habitus eſt, ut Dei filius efficiatur, is patris in ſe dignitatem omnino habebit; paternorumq; bonorum omnium hereditatem cernet. O magnificam locupletis Domini largitionem. o amplam palmam. o manum magnam. Quam multa hæc incredibilium bonorum munera? ad eundem prope dignitatis gradum, in quo ipſe eſt, præ humanitate eam extollit naturam, quæ peccati ſordibus deturpata eſt. Si enim eiuſdẽ naturæ, cuius ipſe eſt, homines participes facit, atque affines, quid aliud hac affinitate cõtracta pollicetur, quam parem quendam dignitatis gradum? Tam magnificum eſt igitur hoc certaminis præmium. quod uero certaminis genus? Si pacificus, inquit, eris; adoptionis præmio donaberis. Mihi actio item ipſa, cuius cauſa tam amplum proponitur præmium, aliud munus eſſe uidetur. nã ad eas res, quæ in hac uita expetuntur perfruendas quid hominibus eſt pace ſuauius? quas tu cũq; res commemoraueris, quæ in hoc uitæ ſpatio iucundæ habentur, pacis ille quidem indigent, ut plane iucundæ ſint. Etenim ſi cuncta tibi ſuppetunt, quæ apud homines in pretio atque honore habentur; diuitiæ, integra ualetudo, coniunx, liberi, familia, parentes, ſerui, amici, terra, mare, horti amœni, uenationes, balnea, palæſtræ, gymnaſia, loca ad oblectationes accommodata, atque omnia denique, quæ uoluptatis cauſa inuenta ſunt. Ad hæc accedãt etiam iucunda ſpectacula, muſici cantus, & ſi qua res alia eiuſmodi eſt, qua oblectentur ii, qui in hac uita uoluptates conſectantur: ſi hæc quidem omnia ſuppetũt, pax uero deeſt, quid illa emolumenti afferunt, cum bellum impediat, quo minus illis bonis perfruaris? Itaque pax ipſa tum per ſe

iis iucunda eſt, qui illam colunt, tum iucunda efficit omnia, quæcunque in hac uita expetuntur. quinetiam in pace, ſi aliquo, ut ſors hominum fert, incommodo afficitur; malum hoc, quoniam re bona temperatum eſt, facilius nos ferimus. Sin autem uita noſtra bello premitur, in eiuſmodi rerum difficilium caſu quaſi ſenſibus caremus; quoniam priuatarum rerum dolorem ſuperat communis calamitas. Atque ſicut quidem medici de corporis morbis commemorant, ſi duobus ſimul malis corpus unum afficitur, uehementioris quidem ſolius ſenſu affici; remiſſioris uero mali dolorem, quaſi grauioris illius morbi ui occultatum, latere: ſic belli incommoda, cum grauiſſima ſint; illud efficiunt ut priuatas calamitates minus ſentiamus. Si uero priuatis malis ſentiendis animus quodam modo obtorpeſcit, cum belli ſit communibus incommodis perculſus; quo pacto fiet, ut rerum iucundarum ſenſum habeat? Arma, equi, ferri acies, tubæ ſonitus, phalanges haſtarum aſpectu horribiles, ſcuta inter ſe implicita, galeæ pennis terrorē præ ſe ferentes, ad arma concurſus, propulſationes, prœlia, pugnæ, cædes, fugæ, impreſſiones, gemitus, uociferationes, terra ſanguine madefacta, mortui conculcati, uulnerati milites derelicti, atque omnia, quæcunque in acerbiſſimis belli caſibus ſpectare, commemorareq; licet. An igitur qui in illis rebus uerſatur, in otium unquam is uenerit, ut mentem conuertat ad eius rei recordationem, quæ iucunda ſit? an non ſi aliquo difficillimo unquam tempore in mentem uenit iucundæ alicuius rei recordatio, aliqua doloris acceſſio fit? Quamobrem qui præmium tibi proponit, ſi a rebus iis te auerteris, quæ malæ e bello proficiſcuntur; is duplici

te munere affecit. nam unum quidem eſt certaminis præmium; alterum uero munus eſt certamẽ ipſum. Itaque licet nulla hac ipſa in re ſpes propoſita eſſet; cordatis tamen hominibus pax ipſa per ſeſe omni ſtudio potior atque antiquior eſſe debet. Quare ſummam humanitatem ex eo cognoſcere licet, quod non laboribus aut ſudoribus, ſed honeſtis animi uoluptatibus optima præmia conſtituit. Si enim rerum iucundiſſimarum caput eſt pax, quam cuique tantam ineſſe uult, ut non modo eam ipſe habeat, ſed præ multa copia ceteris tribuat, qui illa carent. Beati enim, inquit, pacifici. Eſt is pacificus, qui pacem alteri dat: nemo autem alteri quippiam largitur, quod ipſe non habet. Ergo primum uult plenus ipſe ſis bonorum, quæ e pace exiſtunt, deinde illis tribuas, qui eiuſmodi rei indigent. Atque nolo quidem in magnis atque altis admodum contemplationibus elaborata uideatur oratio; quoniam ad bonum adipiſcendum ſatis eſt ea quæ in promptu uidetur ſententia. Beati pacifici. Multorum quidem morborum curationem exiguo remedio affert Dominus, cum ſingula quæque complectatur eiuſmodi uoce; quæ cum late pateat, multa in ſe comprehendit. Primum quid pax ſit conſideremus. quid aliud ſane eſt, quam mutua quædam amoris uis animique propenſio erga alios? Ergo quid illud eſt, quod amori contrarium intelligitur? odium, ira, inuidia, animi impetus, ulciſcendi libido, ſimultas, belli calamitas. Vide quantis & quam grauibus morbis una ſola uox remedium afferat; cum his ſingulis, quæ commemorata ſunt, pax repugnet, atque eius patrocinio mala quæq; tollantur. Vt enim recuperata ualetudine morbus interit, luceque orta nullæ tenebræ reliquæ ſunt: ſic cum pri-

primum pax elucet, quæcunque e re paci cōtraria contrahuntur incommoda, omnia plane tolluntur. Sed quam magnum ſit hoc pacis commodum, nihil eſt, cur oratione cōplectar. tu ipſe tecū mente reputa, quæ uita ſit eorum, qui inter ſe ſimultatem exercent, mutuisque odiis afficiuntur, quam difficilis eorū congreſſus, odioſa inter ſe omnia, os mutum, oculi auerſi, obſtructæ aures ſermoni tum eius, qui odit, tum illius, qui in odio eſt. quidquid autem uni ex iis cordi eſt, id alteri inimicum. contraque id aduerſario iucundū eſt, quod odioſum eſt alteri atque moleſtum. Sicut igitur optimis ſuis odoribus unguenta ſuauia eum, qui obiectus eſt, aerem replent: ſic præ copia quadam uult Dominus te pacis gratia abundare, ut uitæ tuæ ratio alieni ſit morbi remedium. Hæc uero pacis uirtus quanta quamue præclara ſit, ipſe cognoſces diligentius, ſi ſingularum, quæ animo ex iniqua uoluntate fixæ inhærent, perturbationum calamitates ratione luſtraueris. Quis de iracundiæ motibus ſatis diſſereret? quæ orationis uis morbi huiuſce exprimeret fœditatem? Animaduertis eorum, qui a dæmone uexantur, affectus apparere in iis, qui iracundiæ impetu uincuntur; expende inuicem quæſo, tum quæ iratis, tum quæ a dæmone correptis eueniunt; num aliqua in illis diſſimilitudo? Qui dæmonum furiis concitantur, ſanguine ſuffuſi, ac diſtorti eorum oculi, lingua hæſitans, aſper uocis ſonus, cita ut ululans uox. communia hæc ſunt & iracundiæ, & dæmonis: capitis motus, abſurdæ manuum agitationes, corporis totius commotio, non firmus pedum ſtatus. Eſt una eademque utrique huiuſce morbi deſcriptio. hoc ſolum alter ab altero intereſt, quod unus quidem eſt, quo ſponte quis afficitur: alter uero, in quem for-

tuito

tuito ac præter uoluntatem incidunt ii, quibus ille inest. At quanto miserabilius est, si suo quis animi impetu in calamitate uersatur, quam si quis præter uoluntatem malo aliquo affligitur? Atque is quidem, qui hominis a dæmone uexati morbũ spectat, misericordia omnino commouetur: qui uero mentis alienationem, quæ ab ira exoritur, simul atque eam animaduerterit, imitatione is expressit, quoniam sibi fraudi esse putat, nisi morbo suo eum uincit, qui ante in eundem morbum inciderat. At dæmon quidem cum hominis a se oppressi corpus male habet, usque adeo mali uim progredi sinit, ut furentis manus in aerem frustra disiiciat. iracundiæ autem uis non frustra ad aliquid impellit corporis motus. nam cum hic morbus aliquem oppresserit, & sanguis circa cor suffusus efferbuerit; quoniam atra bilis, ut aiunt, ex iracundia per totum corpus sese profundit; tum interioribus compressis humoribus, omnes capitis sensus coangustantur. oculi quidem attente coniecti in id quod offendit, palpebrarumq; finibus quasi expulsi, aspectum quẽdam præ se ferunt immanem ac draconis similem; uiscerum spiritus intercluduntur, colli uenæ turgescunt, lingua crassa fit, uox in angustum arteria cõcluditur, neque sponte acuta redditur, labia frigida illa bile suffusa tum atra fiunt, tum fixa hærent, neque naturali interuallo, neque cõmissura esse uidentur, ut ne saliuã quidem, quæ in ore redundat, continere possint, sed una cum uerbis emittant; quoniã expressus ui quadam sonus spumã expuit. Itaque tum manus pariter ac pedes illa perturbatione moueri animaduertere licet. hæc autem membra non frustra motu impelluntur, ut in iis euenire solet, qui a diabolo oppressi uexantur, sed ad nocendum iis, qui

inter

inter se ira incitati manus conserunt. nam qui digladiãtur inter se, mutui eorum impetus ad illas sensuum partes subito feruntur, quæ ictibus opportunæ apparent. Sin autem in pugna os forte corpori propius accesserit, ne dentes quidem actionem suam prætermittunt; sed tanquam feræ in eorum membris, quos inuaserint, inhærescunt. At quotusquisque est qui omnia singula incommoda, quæ ab ira proficiscuntur, dicendo enumerare possit? Itaque is, qui huiuscemodi turpitudinem uetat, optimo iure tum beatus dicetur, tum talis est, cui ob maximum beneficium honos habeatur. nam si quis ab aliqua corporis molestia hominem liberauerit; hic dignus est, cui ob tale beneficiũ honos tribuatur: quanto plus uitæ profuisse a sapientibus uiris putabitur is, qui ab hoc morbo animum uindicauerit? quanto enim corpori præstat animus; tanto is honore dignior habebitur, qui animis auxiliũ tulit, quam qui corpora curant. Ac nemo arbitretur, a me iracundiæ molestiam iis malis grauiorem putari, quæ ab odio existunt. in ea enim sententia sum, inuidiam ac simultatem, perturbationes illas quidem duas esse tanto grauiores quam illam, de qua dixi, quanto occultum malum illo grauius est, quod aperte patet. nam ex canibus eos maxime cauemus, qui neque latrando, neque hominem adoriendo, rabiem denunciant; sed cum mites uideantur ac mansueti imparatos nos atque incautos offendunt. eiusdem generis sunt inuidia atque simultas eorum, quorum in intimis animi perturbanibus odium quasi ignis aliquis occulte accenditur; quæ uero apparet oris eorum species tota effingitur ad amicitiæ simulationem. Sed quemadmodum ignis, si paleis occultatus est, ab initio quidem materiam quæ

illi

illi intrinſecus obiecta eſt, comburendo abſumit; flam ma autem in apertum minime exit; ſed fumus quidam grauis ac uiolentus, qui concluſus eſt intus, erumpit; ſin autem locum aliquem nanciſcitur, unde exhalet; tum in flammam claram atque apertam excitatur: ſic inuidia cor ipſum conficit, ueluti ignis quendam con geſtum abſumit palearum aceruum; ac præ pudore quidem morbum celat: non tamen in perpetuum plane occultari poteſt; ſed inuidiæ acerbitas tanquam fumus quidam uehemens, in iis apparet, quæ calamitatis ſpeciem habent. Sin autem aliqua calamitas illi acciderit, cui inuidetur, tum morbum in uulgus indicat, cum ex illius calamitate incommodoque lætitiam capiat atque uoluptatem. Occulta autem morbi uis pa teſit, quoad certis apertisq; uultus ſignis latere poteſt. etenim quæ in deſperatis ſigna apparent mortis; eadem in eo ſæpe exiſtunt, qui inuidia flagrat: oculi aridi, ac palpebris, quæ macie cõfectæ ſunt, intus inuolu ti, ſupercilia contracta, oſſa, quæ carnis ſpecie apparent. At quæ huius morbi cauſa eſt? quoniam ſcilicet, aut frater, aut neceſſarius aliquis, aut uicinus rebus in uita ſecundis utitur. O nouum inuſitatumque iniuriæ genus. id uitio culpæque dari, quod in miſeriis ille non eſt, cuius ſecundis rebus dolet; non quia aliquid ab eo aut incommodi aut iniuriæ ſe accepiſſe iudicat: ſed quoniam ille ſine cuiuſquam iniuria in rebus uerſatur ſecundis. Equidem libenter illi dixerim; quid damni feciſti miſer? quid eſt, cur te maceres, cum res uicini proſperas iniquo quodã oculorum obtutu aſpicias? quid eſt cauſæ, quamobrem illum accuſes; ſi corpore elegans, ſi eloquentia ornatus, ac ge neris nobilitate præſtat? ſi magiſtratum aliquem adeptus

ptus, dignitatis illius ſplendore elucet? ſi aliqua illi pecuniarum uis acceſſit? ſi in concionibus prudens uidetur ac grauis? ſi, quoniam beneficus eſt, ac liberalis, a multitudine diligitur atque obſeruatur? ſi liberis gloriatur? ſi uxore gaudet? quid eſt, cur hæc, quaſi aculei ſtimulique pungunt animum tuum? palmas percutis, digitos implicas, cogitationibus angeris, grauiter atq; intime ſuſpiras, facultatum tuarum fructus non iucundus, acerba tibi menſa, ad ignem es ſubtriſtis, attentæ ac paratæ aures tuæ ad eos, qui florentiſſimo homini obtrectant. Si uero aliquid narratur, quod ad illius proſperum rerum curſum pertineat, tum ad hunc ſermonem obſurdeſcunt aures tuæ. Sed hoc iniquo animo cum affectus ſis, cur morbum ſimulas? quid eſt cur beneuolentiæ ſpecie amici perſonam induis? cur cum male illi euenire, occultis animi tui ſenſibus optes, blande eum appellas, ſaluereque ac belle ualere iubes? talis fuit Cain, qui, quoniam Abel probaretur, rabioſa quadam inuidia æſtuabat. nam ad cædem illum inuidia hortabatur; ſimultas uero quaſi carnifex aliquis, cædem fecit. Nam cum hic ſpecie quadam benignum ſe atque amicum oſtenderet, longe ab auxilio parentum illum duxit in agrum; atque ita deinde cæde inuidiam detexit. Quare qui e uita humana hunc morbum depellit, beneuolentiæque ac pacis uinculis eos deuincit, qui genere coniuncti ſunt; hominesq; amicitia cõcordiaue conciliat, an non hic munere fungitur, quod re uera diuini eſt numinis; cũ repulſis ex humana natura malis rerum bonarũ uſum introducat? eamq; ob cauſam uocat Dominus eum filium Dei, qui pacis conciliator eſt; quoniam ueri filii imitator eſt is, qui hæc bona hominum uitæ tribuit. Beati

igitur pacifici, quoniam ipsi filii Dei uocabuntur. Qui sunt hi? qui scilicet diuinæ humanitatis imitatores, id in suæ uitæ rationibus ipsi ostendunt, quod proprium diuinæ actionis est, atque præcipuum. Dominus, qui bona largitur, tollit omnino, in nihilumque plane id omne redigit, quodcunq; a rei bonæ natura abhorret: hoc ipsum actionis munus tibi præscribit, ut odium scilicet deponas, bellum dirimas, inuidiã restinguas, contentionẽ abiicias, simultatem ne exerceas, ulciscendi libidinẽ extinguas, quæ intimos cordis sensus cõtra conficit; ac pro his introducas ea, quæ illis sublatis contraria sunt. Nam ut remotis tenebris lux existit: ita his singulis succedit fructus spiritalis, caritas, gaudium, pax, benignitas, clementia, omnisq; illa denique Apostoli bonorum commemoratio. Quid est, cur beatus non sit is, qui diuina bona largitur? qui Dei munera imitatur? qui magnifica Dei dona bene factis suis exequat? Sed non ad aliud dumtaxat bonum fortasse spectat hæc beatæ uitæ ratio: uerum eum opinor appellari pacificum, qui eam, quæ in seipso est, carnis spiritusq; seditionem tollit, intestinoque naturæ bello extincto, concordiam pacemque conciliat; cum scilicet corporis lex mentis rationi repugnans, nihil amplius imperat; sed meliori regno subiecta, ipsa diuinis paret præceptis. immo uero ne existimemus illud nobis ex hac oratione consilii dari, ut dupliciter consideranda sit eorum uitæ ratio, qui recte egerunt: sed cum ille medius uitii quasi paries ex ea, quæ in nobis est, fabrica sublatus est; tum duplex illa pars meliori temperamento conglutinata simplex efficitur. Quoniam igitur Deus simplex est, neque mixtus aut concretus, neque figura formaque aliqua constare creditur; homo etiam adhi-

bita eiusmodi pacificatione, cum a duplici hac quasi coagmentatione est alienus, diligenterq; ad bene agendum redit; tũ simplex efficitur, sincerus, atque ab omni simulatione alienus; ac re uera unus efficitur, ut quod in illo apparet, idem sit cum eo, quod latet; contra ue quod ocultum est, idem cum eo conueniat, quod ille præ se fert: tum uera solidaque hæc est beatitudo: eiusmodique homines proprie nominantur filii Dei, beatique habentur, promissione Domini nostri Iesu Christi, cui gloria sempiterna. Amen.

CONCIO VIII.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam eorũ est regnum cælorum.

QVORSVM illius Octauæ cuius nomen duobus psalmis apud prophetam inscribitur, spectat mysterium? quoue pertinet illa expiatio atque circumcisionis lex, quarum utramque octauo die fieri lege cautum est? Hic numerus aliquid fortasse cõmune habet cum octaua hac beatitudine, quæ quasi omnium beatitudinum caput, in summo optimi ascensus gradu collocata est. nam octauæ illius ænigmate illic propheta ostendit resurrectionis diem: expiatioque demonstrat inquinati hominis reditum ad eam, quæ naturalis est, munditiem: & circumcisio illud indicat, ut mortuas pelles abiiciamus quas nos induimus, postquam Deo non obedientes, uita nudati sumus. atque hic quidem octaua hæc beatitudo cælestem eorum restitutionem continet, qui in seruitutem inciderant, ab eaque ad regnum reuocãtur.

Beati, inquit, qui persecutionem patiũtur propter me, quoniam ipsorum est regnum cælorum. en certaminum finis, quæ Dei nomine suscipiuntur. en laborum præmiũ. en sudorũ proposita merces; ut qui scilicet Dei causa in certamẽ descendunt, cæleste assequãtur regnũ. Non in re caduca atque uaria est amplius incerta fluxaque felicitatis spes. nam terrena hæc in eo genere sunt, ut fluxa sint, temporumque uicissitudine mutentur. de iis uero, quæ in cælo apparent, quæue nos mente contemplamur, nihil tale iudicamus, ut eadem non sint ac sempiterna. sed quæ in cælo extant, serie quadam, continuatoq; ordine suum quæque cursum conficiunt. Attende igitur huius muneris præstantiã; quod non in iis scilicet, quæ incertæ res sunt, Dominus tibi tribuit dignitatis amplitudinem; ut ne aliquis uicissitudinis metus spes optimas perturbaret: sed cum cælorum regnum dicat; ostendit donum, cuius spes nobis proposita est, non temporum permutationibus mutari, sed sempiternum plane esse. At ex iis, quæ iam explicata sunt, illud in dubitationem uenit; & primum quidem; cur tam ei qui spiritu pauper est, quam illis, qui propter se persecutionẽ patiuntur, æquale utrisque Dominus proponat præmium, cum æqualia sint eorum certamina, quorum præmium par est & commune? Deinde quid est, quamobrem ad dexteram collocatos, ab illis seiunctos, qui a læua sunt; hos ipsos cum ad cæleste regnum uocet; alias huiusce honoris causas afferat? nam cum illic & misericordiã, & facultatum largitionem, & mutuam caritatẽ commemoret; neque spiritalis paupertatis, neque persecutionis causa sua susceptæ meminit. Itaque si ea, quæ in promptu est, sententia spectatur, ualde hæc inter se distare uidentur. quid

enim

enim paupertati cum persecutione commune est? an hæc rursus cum caritatis amorisque conueniunt actionibus? si egentem hominem quispiam aluit, aut nudum uestiuit, aut uiatorem hospitio excepit, aut ægrotum, eumue, qui in uinculis est, quo potuit officii genere complexus est: quid hæc, si illius studii officiique rationem habueris, cum paupertate, persecutioneque consentiunt? Hic alienis incōmodis medetur; illorum uero uterque tum is, qui pauper est, tum qui iniuriam persecutionemque patitur, iis indiget, qui alios curāt; est tamen omnibus idem finis propositus: cum in cælum Dominus æque adducat eum, qui pauper spiritu est, atque illum, qui causa sua patitur, ac eos item qui misericordiam aliis tribuunt. Ergo quid nos ad hæc? nam cuncta inter sese cohærent, in eoque consentiunt, quod ad unum eundemque finem referuntur. etenim paupertas facile pellitur, pauperumq; studium non est a paupertate alienum. Sed primum illud optimum factu esse censeo, ut ea considerem, quæ ad hunc sermonem pertinent; deinde quæ in controuersiam adducta sunt, animaduertam, quo pacto conuenire possint. Beati, qui persecutionem patiuntur. Vnde patiuntur, & a quo? Atque ea quidem, quæ in promptu est, oratio, & martyrum stadium, & fidei cursum ostendit. nam persecutio uehemēs celeritatis studium significat eius, qui currit; uel potius in cursu uictoriam indicat. non enim qui currit, aliter uincere potest, nisi a tergo eum relinquit, quicum de cursu cōtendit. Itaque quoniam tum is, qui ad cælestis regni præmium cursum tenet, tum ille, qui ab aduersario ob præmium est exagitatus, uterque pariter habet, quem a tergo relinquat; unus quidem eum cum quo cōtendit, alter uero illum,

qui

qui perſequitur.hi igitur ſunt,qui in cõtentionibus pro fidei pietate ſuſceptis,cũ curſum confecerint,eos inimici perſequuntur,nõ aſſequuntur tamen. Sed huius beatitudinis,cuius ſpes nobis propoſita eſt,illud caput eſſe uidetur, quod extremis uerbis quaſi corona quædam oſtẽditur.nam illud re uera quambeatiſſimũ eſt,Domini cauſa pati.Cur? quoniam ſi a malo uexaris, id cauſæ eſt, cur in bono uerſeris: ſiquidem mali uitatio eſt boni aſſequendi occaſio: bonum autem, atque adeo omni bono præſtans eſt ipſe Dominus, ad quem is, qui perſecutionem patitur, currere contendit. Ergo re uera beatus eſt, qui ad bonum aſſequendum adiutorem eum habet,qui inimicus eſt.Nam cum in finibus & boni,& mali collocata ſit hominum uita:ut is,qui ab optima ſummaque ſpe cecidit, in tenebris iacet: ſic qui a peccato ſeſe auertit, atque a uitio alienauit, hic ad immortalitatem atque iuſtitiæ lucem accedit. Itaque iniuriarum, quas abs tyrannis martyres accipiunt, ſpecies illa quidem,quæ primo aſpectu cernitur, acerba admodum ſenſui eſſe uidetur: quæ tamen contra illos fiunt, earum rerum finis omnem ſuperat beatitudinem. Sed ſatius eſt, huius ſermonis ſententiam exemplis illuſtrare. Quis non animaduertit, quam longe grauius eſſe iudicetur inſidioſe tractari, quam diligi? quod ſæpe graue ac moleſtum uidetur, id ipſum pleriſque in cauſa fuit felicitatis. id quod de Ioſepho hiſtoria narrat. Huic cum a fratribus inſidiæ factæ eſſent, eamque ob cauſam ab illorum conſuetudine remotus, ac diuenditus, rex eorum factus eſt, a quibus inſidioſe tractabatur. neque fortaſſe ad tantam dinignitatem perueniſſet; niſi inſidioſa fratrum inuidia ad regnum ſibi iter pateteciſſet. Vt igitur ſi quis futurarum rerum

ſcientia

ſcientia præditus Ioſepho prædixiſſet; beatum eum fore ex inſidiis, quæ ſibi tendebantur: non probabilis quidem primo aſpectu huius coniectura uiſa eſſet ei, qui audiſſet; quiue id tantum ſpectaſſet, quod eſſet in præſentia acerbum; propterea quod fieri non poſſe putaret, ut impendentis mali optimus expectaretur euentus. Sic hoc quidem loco cum bellum, quod fidelibus piisq; hominibus fit a tyrannis, atrox admodũ ſenſui noſtro uideatur; efficit ut ii, qui artioribus carnis uinculis aſtricti tenentur, ægre in eam regni ſpem ueniant, quæ illis eſt in rebus difficilibus ac moleſtis propoſita. ſed Dominus, qui naturæ imbecillitatem ſuſtentat, iis, qui maxime infirmi ſunt, prædicit, qui ſit certaminis euentus, ut regni ſpe propoſita breuẽ illum dolorum ſenſum ipſi ſuperent. Atque eam ob cauſam Stephanus ille magnus, cum lapidibus undique obrueretur, gaudet, fortiterque corpore lapides, qui in eum crebri quaſi denſæ niuis inſtar coniiciebantur, ipſe excipit; tanquam illa lapidum coniectio eſſet ſibi ros quidam ſuauis: ac tæterrimis illis percuſſoribus gratias agit, oratque ne hoc illis crimini culpæque detur: quoniã is & promiſſum accepit; & ſpem cum iis, quæ apparebant, conuenire uidit. nam illud auditione cum accepiſſet fore, ut qui Dei nomine paterentur, ii in cæleſti uerſarẽtur regno; dum is lapidum ictu cruciaretur, id oculis uidit, quod in ſpe maxime habebat; ſiquidem in illo confeſſionis curſu, cælum apertum ſeſe ei oſtendit; id quod maxime ſperabat. Dei gloria currentis certamen e cæleſti ſede proſpicit: ille inquã ipſe, cui is certando laudes & teſtimonium dabat. nam quod certaminis arbiter intereſt, hoc opem obſcure indicat, quam is pugnãti homini fert; ut ex hoc cognoſcamus,

qui

qui pugnas certaminaque instruit, eundem esse, qui contra aduersarios auxilium iis dat, qui pro se certamen susceperunt. Ergo quid beatius eo excogitari potest, qui cum Domini causa pugnando patiatur, eundem, qui illius pugnæ arbiter est, habet adiutorem? Neque enim facile est, atque haud scio, an fieri ullo pacto possit; ut rebus iis, quæ in hoc uitæ curriculo uel iucundissimæ apparent, illud bonum cuipiam potius sit, atque antiquius, quod minime cernitur: ut scilicet quis malit aut domo se expelli, aut ab uxore, liberis, fratribus, parentibus, atque ab æqualibus suis disiungi: rebusq; omnibus huius uitæ iucūdissimis spoliari; nisi Dominus ipse illū adiuuet, qui ex prænotione ad bonum uocatus est: quos enim, inquit Apostolus, prædestinauit, hos & uocauit; & quos uocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Quoniā igitur corporis sensibus ministris animus quodam modo huius uitæ uoluptatibus adhæret; oculorumq; sensu uoluptatē ex optimo alicuius rei colore capit; & auribus ad suaues cantus trahitur; & gustatu, olfactu, tactuque item procliuis ad id fertur, quod cuique sensui est natura accommodatum: iccirco cum ille uoluptatibus sen suum ui quasi clauo aliquo affixus teneatur; uix ab iis rebus auelli potest, quibus addictus simul alitur: quasique testaceo quodam integumento coopertus, ueluti testudines, & cochleæ, tardus ad hos motus ducitur; cum omne uitæ huius onus secum una ferat. Quamobrem cū ita sese habeat animus, facile is a persequētibus capitur; & cum bonorum proscriptionis terror ei iniicitur; ac minæ damnumque proponitur earum rerum, quarum maximum est in hac uita studium; tum inimici minis facile succumbit ac cedit. At cum uiuus

ser-

ſermo, ut eſt apud Apoſtolum, efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti in eum peruenerit, qui fidem uere ſuſcepit; diſſecueritque ea, quæ habitu quodam ſunt male comparata, malæque conſuetudinis uincula ruperit: tum is mundanas has uoluptates quaſi graue aliquod onus cum e ceruicibus deiecerit, quaſiq; curſor aliquis, ipſo certaminis arbitro ad curſum adiutore uſus, facilis atque expeditus certaminis curriculum conficiet. non enim quæ reliquit, ſed quæ appetit, ea ſpectat: neque oculum ad id conuertit, quod a tergo iucundum eſt; ſed ad illud contendit, quod ob oculos poſitum eſt bonum: neque rerum terrenarum iactura dolet, ſed cæleſtium gaudet lucro, omneque propterea ſuppliciorum genus, quaſi aliquod propoſiti gaudii ſubſidium atque adiumẽtum, forti atque alacri animo ſubire non recuſat. Ignem quaſi materiæ ſordes purgantem, gladium, tanquam eum, qui conſuetudinem dirimat, cuius uinculis mens illigata tenetur cum iis, quæ terrena ſunt, & ad carnis ſenſum pertinent; omneſque denique laborum dolorumue cruciatus, quicunque excogitari poſſunt, fortiter alacriterque ſuſtinet; quaſi hæc tormenta medicamentum afferant optimum peſtifero uoluptatis ueneno. Nam ut quibus bilis abundat, ii amaras potiones libenter hauriunt, ut illarum remedio morbi cauſa tollatur: ſic qui ab inimico uim patitur, ad Deumque confugit, dolorum cruciatum ſuſtinet, tanquam hæc dolorum uis ualeat ad reſtinguendum uoluptatis incendiũ: qui enim cruciatibus torquetur, non poteſt dolorem ſentire. Cum igitur ex uoluptate peccandi ſit introducta conſuetudo; re plane contraria tolletur. Ergo qui hanc nominis chriſtiani profeſſionem exagitant, inueniuntque pro-

pterea intolerabilia ſuppliciorũ tormenta, ii quidem, cum peſtiferæ uoluptati, adhibitis dolorum cruciatibus, medeantur; aliquod animis remedium his laboribus afferunt. Hac quidem ratione crucem Andreas; gladium Paulus; lapides Stephanus; capiteque inuerſo crucis tormentum ſubit beatus Petrus: omneſque denique deinceps, qui pro fidei cauſa dimicationem ſuſceperunt, uaria ſuſtinuere ſupliciorum genera: aut enim ad beſtias ſunt damnati, aut in præcipitem locum commiſſi, ſæpeque ex altiſſimo loco deiecti, aut ignibus cremati, aut frigore conglaciati, aut diſtractione laterum dilacerati, aut capite confixi, aut oculis orbati, aut digiti illis præciſi, aut crura fracta, aut ipſi fame enecti. Hæc igitur omnia ac talia ſuplicia tanquam peccatum expiantia ſanctiſſimi illi uiri læto animo ſubibant: ut, cum grauis ille acerbusque dolorum ſenſus, omnes, quæ eſſent animo impreſſæ, uoluptatis notas deleret, ne ullum quidem eius ueſtigium in animo relinqueretur. Ergo beati, qui perſecutionem patiuntur propter me. Hoc autem eiuſmodi eſt, ut aliud item ratione comprehendamus, ueluti ſi quis ualetudinem ita loquentem induceret. Beati, qui propter me ſunt a morbo liberati; quoniam qui aliquãdo ægrotauerunt, morbis depulſis, me fruẽtur. ita hanc uocem audiamus, quaſi ipſa uita ſit, quæ eiuſmodi nobis beatitudinem clamore ſignificet: Beati, quos mors perſequitur propter me. aut quaſi lux dicat: Beati, quos tenebræ perſequuntur propter me. pari item ratione iuſtitia, ſanctimonia, integritas, bonitas, omnisque denique optima, quæ de Domino aut exprimitur, aut mente concipitur ſententia: ita, ut is intelligitur, tibi illud dicere exiſtimetur. Beatus omnis, quicunque ab omni re contraria

traria ſeſe auertit, uitio, tenebris, peccato, iniquitate, auaritia, atque ab his ſingulis ſe remouet, quæ uirtuti ſunt & dictis & factis contraria. Nam cum quis a rebus malis auerſus eſt, ad bonas hic poteſt ſeſe conuertere. Qui facit peccatum, inquit Dominus, ſeruus eſt peccati. Ergo qui ſe remouit ab eo, cui antea ſeruitutem ſeruierat, in libertatis dignitatem hic ſe uendicat. Summum autem libertatis genus illud eſt, cum quis ſui iuris factus eſt. regia uero dignitas nullum habet dominatum, qui ſibi præſtet. Itaque ſi ſui iuris eſt is, qui a peccato ſe totum auertit; regiæque dignitatis illud proprium eſt, ut nullo imperio, nullo dominatu teneatur: optimo quidem iure is beatus dicitur, qui malo uexatur, quoniam inde regia ſibi dignitas comparatur. Quare ne ægre feramus, fratres, ſi a terrenis rebus expellimur; nam qui hinc migrat, in cæleſti regno domicilium habet. In rebus uniuerſis creatis naturæ, quæ ratione utitur, ad habitandum duo ſunt hæc attributa elementa, cælum, & terra. Sedes ac domicilium eorum, qui carnis aſtricti uinculis hac uitæ uſura fruuntur, terra eſt; cælum autem illorum, qui corpore carent. Neceſſe eſt igitur, uitam noſtram aliquo in loco omnino eſſe. Niſi e terra pulſi ſumus, in terra omnino manemus: ſi hinc diſcedemus, in cælum commigrabimus. Vide, cum hæc beatitudo tantum tibi boni conciliet, quo per id, quod moleſtum uidetur, te ducat? quam rem cum animaduertiſſet Paulus, ita ſcribit: Omnis diſciplina in præſenti quidem uidetur non eſſe gaudii, ſed mæroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. ergo fructuum, qui ſperantur, flos eſt hæc uitæ perturbatio. Itaque propter fructum nos etiam florem decerpamus; agitemurq; ut

currramus. curſum autem cum teneamus, ne fruſtra hoc faciamus, ſed curſus omnis nobis propoſitus ſit ad cæleſtis regni præmium; atque ita nos curramus, ut aſſequamur. Quid illud eſt, quod aſſequemur? ecquod præmium? ecquæ corona? mihi quidem nihil aliud, quod ſperatur, eſſe uidetur, quam ipſe Dominus. is enim eſt certantium iudex; is uictorum corona; is qui hereditatem tribuit; is ampla eſt hereditas; is optima pars; is qui tibi partem largitur; is qui locupletat; is opes: is cum ſit tuus theſaurus, theſaurum tibi oſtendit, pretioſæque margaritæ tibi cupiditatem iniicit; uenalemque ſe tibi tanquam optimo mercatori præbet. Quare ut illa aſſequamur, hæc abiiciamus: quæue poſſidemus, ut in foro fit, ea permutemus cum ea re, quam non habemus. Itaque ſi uim iniuriasque patimur, ne doleamus, immo uero lætemur: quoniam cum ex iis rebus, quæ in terris magni fiunt, nos pulſi ſimus, ad cæleſte bonum impellimur; ut affirmat nobis is, qui beatos dicit eos, qui nomine ſuo patiuntur: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, munere benignitateque Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria potentiaue ſempiternis ætatum ſæculis. Amen.

FINIS.

Errata corrigito ſic. Pag.4.Ver.29. diſsidentiū. pag.6.5.tribus. pag.8.5. modeſtiam. pag.41.14.repugnantium. pag.96.26. ratio. pag.104.28. uiuunt. pag.104.36. conuiuarum. pag.158.30. dignitatem. In reliquis, ſi quæ modo prætermiſſa ſunt, utere tuo iudicio.

LECTORI .S.

Dabimus operam, quantum in nobis erit, ut reliqua Nyseni scripta, atque monumenta, quæ magno reip. Christianæ damno in tenebris latent, in apertum proferantur. in eo enim maxime his temporibus uersamur, ut catholicæ doctrinæ ueritas sanctorum patrum patrocinio suam dignitatem retineat.

Series chartarum.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm